


Am 1.
CALVINISMVS
IN
AGONE

ET
FIDES ACTVALIS
INFANTVM
DEFENSA

AVCTORE
M. IO. CVNR. ENGELHARD
V. D. M. WVRTEMB.



VLMAE ET LIPSIAE
IMPENSIS DAN. BARTHOLOMAEI et FIL.
M DCC LII.

8

CAUTIONS

AGONE

FIBER ACETVALIS

THEATUM

DESSA

ACTONE

M. JO. CUNY F. AGELHARD

N. D. M. D. R. T. M. D.



ALMAN ET LIPSIÆ

IMPRINIS DAN. BARTHOL. GMAHRTS KIL.



PRÆFATIO.

De Controversiis fidei eadem mihi adhucdum mens sedet, ut, quæ in *generalibus* decidi liquido possunt vel præscindi, *specialibus* solum responsionibus tractandæ & continuandæ, quin imo, quod ita fieri solet, amplificandæ non videantur. Tricarum suffugiorumque nullus est finis, *posteriori* viæ si insistatur. Facilius autem & citius lacuna coire ut possit, peropportunum *prior* agendi modus adminiculum foret.

Tenue rei Tentamen & immaturum quoque (ultima nondum adhibita lima) in controversa Infantum fide publice nuper, auctore me, prodiit peregre. Succedit jam alterum simile in materia de *Calvinismo in agone* principiis sanæ rationis pariter ac revelato salutis ordini, putem, cohærens, Symbolicisque Libris non minus consentaneum, modestum cætera & nemini, quod sciam, injuriosum. Veritatem amo & quæro.

quæro. Amicus ideo mihi est, cujus-
cunque vel auxilio vel hallucinationibus
quoque veritatem detego. Eo autem
fine & sanioris Philosophiæ præcepta au-
dio, quoadusque in revelatis sunt audienda.

Gravius omnino & audentius Philoso-
phiæ usum in Theologia *Polemica* jam ante
hos fere ducentos annos (anno nimirum
1566.) defendit *Jacobus Schegkius*, Pro-
fessor Tubingensis, in suo contra Anti-Tri-
nitarios tractatu, cujus omnia hoc loco
mea facere nullus auderem. Cum appro-
batione publica tamen in Epistola Dedicato-
ria ad Serenissimum Wurtembergiæ Prin-
cipem, Christophorum, gloriosæ memo-
riæ, inter alia hæc habet, ab animo meo
non aliena: „*Quibus ego paulo æquioribus &*
„*doctioribus facile credo me persuasurum, co-*
„*gnatissima inter se studia esse Theologiæ &*
„*Philosophiæ veræ; cum Philosophiæ etiam*
„*finis sit cum pietate vera junctæ non tantum*
„*contemplari, sed etiam in Spiritu & veritate*
„*colere Deum, & D. Paulus ipse quosdam*
„*Philosophos, Deum verum, ut Deum ve-*
„*rum, ex visibilibus hujus mundi cognovisse*
„*testetur, non tamen eos Deum ita cognitum*
„*rite coluisse; quod ipsum dum vituperat Apo-*
„*stolus, cognitioni Philosophicæ tamen divino-*
„*rum*

„rum non derogat aliquid. Quam Philosophicæ
 „scientiam inimicius, quam verius, damnant
 „quidam - - cuius studium inane & inutile
 „esse dicunt Theologiam, sacram illam & re-
 „ligiosam, discentibus. Multum certe opinio
 „hæc religioni veræ & nocet hodie & semper
 „nocuit, quum tamen, sine Philosophicæ cog-
 „nitione exquisita & accurata, vera certe a ve-
 „rissimilibus falsis internosci facile nequeant.
 „Et iterum: Nulla fere unquam fuit tam
 „absurda opinio, quæ non habuerit defensores
 „& sectatores suos. Difficile enim est verum
 „intelligere, facillimum falsa defendere, præ-
 „sertim apud imperitos: cum sit veritas una,
 „multiplex falsitas, & ubique obuius etiam
 „non quærentibus error incautos irretiat. Ve-
 „re autem hoc mihi dictum videor, nisi accuratius
 „incipiant homines philosophari (in Theologia,
 „futurum, ut nullus sectarum, nullus erro-
 „rum futurus sit finis; quandoquidem hac
 „ignoratione accidat, ut neque accipere, ne-
 „que reddere rationes Disputatores - - va-
 „leant. Et sub finem: Sic ego statuo,
 „PRINCEPS OPTIME, nisi ad fon-
 „tes rationum & principia prima veritatis ac-
 „cedatur, semper habituros receptum adver-
 „sarios, quo confugiant, quo suum errorem
 „verissimilitudine quadam occultent. Patesa-

„*Etis autem omnibus quasi fundamentis causæ,*
 „*omnes scilicet illis latebræ errorum eripientur*
 „*& in manifestam veritatis lucem non inviti*
 „*deducentur, ut spero, quam ipsi non minus,*
 „*atque nos, si boni sunt & rationem habent*
 „*salutis suæ, aspicere desiderant, &c.*

Rationem consensus mei hoc loco hanc addo. Etiam post Canzianas, planas easdem ac distinctas absoluti Prædestinationis Decreti refutationes, receperunt se hodie in forma cum absoluto Decreto suo & particulari Gratia divina Reformatæ Doctores Ecclesiæ in unum, qui ipsis reliquus erat, secessum, totius scilicet *universi nexum*, in quo latere *objectiva* (hanc enim B. D. Canzius in Tom. 2. Usus Philos. Leibnit. & Wolff. in Theol. Dissidentibus extorserat,) eademque *arcana* Electionis & Reprobationis ratio possit, licet ab electis & reprobis *in individuo* nulla repetatur. Eodem fine nexum totius universi nobis ita impervestigabilem repræsentant, ut, si vel darentur *specialissimæ ac determinatæ* (quas tamen neque affirmare neque negare solent *expresse*) divini Decreti rationes *objectivæ*, nobis tamen homuncionibus, ob earundem impervestigabilitatem, in *generalibus* (in generali convenientia cum fine) duntaxat sit subsistendum.

Nuperrime scientifica methodo, *Facultatum Theologicarum*, TIGURINÆ & BERNENSIS, *approbante calculo*, Ecclesiæ suæ Absolutissimum & Particularissimum Gratia *Stapferus* (in *Institt. Theol. Polem. Tom. 1.*) post hunc nexum reduxit & abscondidit, varia specie ideas inflectens, ut contrariæ doctrinæ demonstrationem Nobis eo difficiliorem reddat, & ut suos, etiam inter sese hoc capite dissentientes vel uniat vel certe non offendat, ubi recentioris dogmata Philosophiæ adoptat & inculcat.

Et fama est, eodem inclinare D. Vene-
mam, Theologum Franequeranum & ex
Batavis alios quoque, arbitratos, salvo ab-
soluto Decreto suo, ab ulla conditione pen-
dere nescio, & salva particulari gratia sua
se recentioris Philosophiæ dogmata posse
adoptare. In quo cæteris exemplum præire
voluit l. c. *Stapferus*, qui etiam Canzianis
Usibus ac demonstrationibus l. c. subinde
abutitur: ut, quando B. D. *Canzius* in utro-
que Tomo passim fatetur, nos *speciales* Di-
vini Decreti rationes ignorare, utiliter con-
fessionem hanc arripit & rationem Electio-
nis & Reprobationis horum illorumve ho-
minum *specialem* esse adeoque arcanam &
prorsus imperscrutabilem rationem, utpote

in nexu totius universi latentem, implicare contendit. Scilicet ut *objectivas determinatas* Decreti Divini rationes concedere & negare tamen eadem opera possit: ut veritati, velut coactus, *objectivas* fateri rationes Prædestinationis videatur, at nonnisi *generales*, a bono publico, non autem a *conditione singulorum*, petitas: ut decretum Divinum ita a nulla individuorum conditione pendeat, nedum a contingente & futura: ut adeoque, præsertim imperscrutabilitate ejus admittitur & supposita, tamen *absolutum* permaneat.

Judicaverint jam harum rerum intelligentes, utrum, *sine Philosophiæ auxilio*, protrahi possit ex hoc latibulo Absolutismus? aut an expelli feliciter & constanter? Equidem si thetice id fieri debeat, valde dubitaverim. Non opponamus igitur impotenter, nec confligamus, coordinanda & subordinanda. Ancilla Dominae rectiora hoc modo non tradit nec obtrudit *superciliose*, sed ei se consentire ipsamque, ut fas est, *adjuvare* se ostendit, dum errores reddidit magis palpabiles, laboremque istorum refutandorum, fatis alias molestum, ita quoque faciliorem.

Quæ

Quæ recentius admodum, occasione Libelli Langiani (*Von der allgemeinen Gnade*) ab *Anton. Driesserio* (in der erwiesenen, erläuterten und vertheidigten Lehre der besonderen Göttlichen Gnade) & a *Joh. Christ. Kirchmeyero* (in Disput. in 2. Petr. 2, 1. de falsis Doctoribus, Dominum, ipforum Emtorem, negantibus) & a genuino hujus Discipulo, *Joh. Phil. Spizio*, Prof. hodie Heidelbergensi (in Disp. de Efficacia Gratiaë particulari, non universali, & postmodum in der Evangelischen Lehre von der nicht allgemeinen Gnade) & a *Georgio Heinsio* (im Schreiben an seinen Timotheum) & a *Johanne Jacobo Waldschmidio* (in der heilsamen Gnade) & a *Joh. van den Honert* (in Tractatu de Gratia Dei non universali, sed particulari,) & ab *Hieronymo van Alphen* (in Brevissima idea Theologiaë Christianaë p. 70. seqq.) non tam noviter dicta, quam repetita sunt, illis omnibus *Stapferiana*, tanquam *generalia* substernuntur, & ad faciendum fucum, paulo longius errorem ex oculis reducunt. His igitur *similiter generalia* in contrarium opponi & *Apologeticis Langianis* quoque substerni privatus mecum optavi & strictim ea Tentamine hoc *delineare* constitui.

stitui. Nolim id pro *patrocinio*, *invitis Clientibus præstito*, a quoquam habeatur. Veritatis causam ago, non hominum. Animum *hi* sæpe mutant, priusquam moriuntur: at *illa* invariabilis & nunquam intermoritura perstat.

B. D. *Weismannus* in privato Collegio hac de Controversia judicaverat: „*Eo ventum esse in ejus discussione, quo se pervenisse putent Advocati, quando tandem post dicta omnia dicere solent: Repetimus priora & nos Dn. Judici submittimus: Verum id biennio, antequam Stapferianæ Institutiones prodiissent. Revisioni Actorum huic igitur generalia quoque hujusmodi simul adhiberi pervelim.*

Vides B.L. quo præfens Tentamen pertineat? Quo scopo sit delineatum? Quo eventu? tuum est judicare. Si minus feliciter ceciderit, nihil tamen veritati & bonæ causæ *Tentamen* nocebit. Saltim æquioribus illud Lectoribus *hoc titulo* haud improbatum iri confido.

Illo quidem hac vice momenta potiora capitibus distincta volui, ne, quod ab amicis de priori Tentamine monitum esse cognovi,

gnovi, Lectoris attentio a continua demonstrationis serie nimis defatigetur. Et plano scribendi genere utendum censui, ne Lectoris attentioni *duplex* cogitandi labor incumbat. Manutios & Bembos id nolim offendat, dictioni, quam rebus, intentiones.

Ab initio opellæ *Juridicum* nomen, privata occasione, destinaveram: Absolutissimi cum Particularisimo Gratia divinae duplicem Capitis Deminutionem jam passi, maximam proxime tandem passuri; ut tria potiora Decrementi hujus Doctrinae momenta, philosophica potius, quam historica, vel in Titulo quoque distinguerem & indicarem: - - Verum mutavi consilium, de obscuritate tituli hujusmodi monitus, etiam si metus non fuisset, ne forte, quod Articulo Smalcaldico accidit, ab incondito quodam Antagonista. Absolutissimus hic quoque pro Viro hæretico * habeatur dirisque devoveatur.

Cæte-

* Ludovicus Jacobus a S. Carolo in Bibliotheca Pontificia Lib. 2. fol. 455. ita fuit historiae religionis ignarus, ut putarit, Articulum Smalcaldicum fuisse Virum Lutheranum & Germanum. Articulus Smalcaldicus, Germanus Lutheranus, inquit, edidit de Primatu & potestate Papæ librum, &c.

Cæterum si veriora his nosti, Benevole Lector, & faciliora quoque in hac causa, rogatum Te scias & provocatum Tentamine hoc, non occupatum. Gratias Tibi mecum habebit, quicumque veritatem amat & quærit & dijudicare novit. In illam Spiritus Veritatis nos ducat omnes!

Conspectus Libelli.

Sectio Prior Thetica.

- Cap. I. Generalia quædam præmittit, cavendis ambiguitatibus destinata.
- Cap. II. De Voluntate Dei *in genere*, itemque de duplici ejusdem Respectu; quo vel *Antecedens* vel *Consequens* vocatur, dispicit.
- Cap. III. De Decreto Dei *in genere* agit.
- Cap. IV. Absolutum Dei Decretum *in specie* examinat & refutat.
- Cap. V. Gratix Particularis Consideratione absolvitur.

Sectio Altera Antithetica.

- Cap. I. Potiora argumenta & objectiones Reformatorum juxta hæc generalia examinat.
- Cap. II. Ex concessis cum Stapfero disputat.
- Cap. III. Usus quosdam dictorum subjungit.





SECTIO PRIOR THETICA.

CAP. I. PRÆLIMINARE.

ab iis,

*Qui Metaphysica non amant, cum binis sequentibus
bona cum Auctoris pace, prætereundum.*

§. I.



Nondum ætate, quam vivimus, meliora, quæ exoptamus, tempora invaluerunt, in quibus de Eruditorum Logomachiis nec queri amplius, nec pugnare etiam contra easdem, veritatem amantibus necessum esset. Quapropter etiam, præscindendis in præsentī materia, de *Absolutismo & Particularismo Gratia*, variis, quæ observatæ fuerunt, ambiguitatibus, generalia quædam, determinatius posita & applicatius concludentia, sequentibus præmittantur necesse est. Pleraque tamen, utrinque concedi imo

Engelhardi Absolutismus.

A

&

& defendi videas, *diverso licet sine & effectu* quoque. Manifesto Logomachiae a parte alterutra stantis & veritatem obnubilantis, indicio. Ab utra vero? Id quidem intelligens Lector *hoc* etiam ex Tentamine haud difficulter cognoscet.

§. 2. Videris alios in hac doctrina *a)* in nominandis Divini Decreti *rationibus* ludere, sufficientes vocare & reddere velle, quæ tales non sunt, *determinatas* prorsus negligere vel impossibiles fingere, contra veritatem: Videris alios *b)* Decreta Dei *multiplicare*, ut in planis tricari possint: Videris alios *c)* Definitionem *absoluti Decreti* mutare, ut cum omnibus suæ partis, etiam inter sese dissentientibus, & loqui & sentire, & *antiquum tamen obtinere* videantur; simul vero etiam, ut eo facilius non satis attendentibus imponant: Videris alios *d)* ipsa arma, queis jugulari possunt, invertere velle, vel certe illis sese circumvallare. Inexpectato Conatu: at irrita quoque!

§. 3. Unde ex Metaphysicis generalia, quæ huc pertinent, nonnulla & repetenda & sollicitius distinguenda veniunt, ut de Conclusionibus, quæ inde fluunt, vel non fluunt, eo rectius à Benevolo Lectore statui queat. Transilire potest ista quidem Lector, qui ea vel non amat, vel rectius novit, me non refragante, & legendo demum a Capite tertio vel quarto incipere. Modo deinceps infra circa specialia non hæreat! Mihi ea hæc loco omittere non licuit, ad ea inferius utraque in Sectione provocaturo. Contradictoria enim conclusiones ex præmissis communibus absque Logomachia deduci non possunt. Atqui deducuntur. Operæ igitur pretium erat, etiam præmissas examinare sollicitius. In Conclusionibus ipsi festinare solemus *omnes*. Oportet igitur in præmissis, hoc est, in principiis declarandis, docentes esse tardiores. Qui pleraque hæc generalia etiam cum aliis contulerit, iterum fortassis prolixitatem hanc, alio casu evitandam, excusaverit.

§. 4. Præcipue autem hodiernum ludi videas in
phra-

phrasibus, queis vel intellectus ab objectis, vel voluntas a motivis, vel Deus ab objecto, principiove extrinseco, vel & gratia & efficacia divina a Systemate hoc rerum *determinari* vel non *determinari* dicitur, ex capite de Determinato curatius excutiendis. Ab hoc igitur Capite faciamus rei initium.

§. 5. Quicquid existit, id (*Nominali* Definitione) ea *jam* habet, quæ in sua possibilitate duntaxat *habere posse* concipitur. Omne Ens autem, in se & sua possibilitate si spectetur, ea habere potest connexa, quæ ipsi *præ cæteris* conveniunt. Hoc est: omne Ens metaphysice unum est. Igitur omne Ens, cum existit, metaphysice unum manet. Quando enim existit, ea *jam* habet, quæ ipsi *præ cæteris* conveniunt, & quæ in possibilitate sua spectatum duntaxat habere posse cogitatur. Existentium itaque unum non est alterum. Unum habet, quod alterum non habet. Unum ab altero differt. Uno vocabulo: Quicquid existit, res *singularis* seu *individuum* est.

§. 6. Individua diversitate internoscuntur. §. 5. Diversorum unum habet, quod alterum non habet ex Def. Diversa igitur sibi invicem, salvis omnibus, substitui non possunt. Utut enim in nonnullis familia essent: haberent tamen & peculiariora quædam, in quibus inter sese dissimilia sunt, & quorum respectu substitutio locum habere non potest. Sed inde & hoc verum esse intelligitur, quod eatenus diversæ non sint res, quatenus altera habet, quod altera etiam habet, quatenus adeo una alteri potest substitui. Sic in ordine ad peccatum Originale homines post lapsum *generice* similes sibi sunt omnes, *quatenus* eodem contaminati sunt *omnes*. *Eatenus* igitur non differunt. Rom. 5, 12.

§. 7. Qui sibi ea, quæ differunt, animo repræsentat, is eadem *distinguere* dicitur. Diversa igitur eatenus distinguere possunt ac debent, quatenus inter sese dissimilia sunt. Quod contra fit in similibus, quæ eatenus a se invicem distinguere nec possunt, nec debent.

Ita si peccati Originalis respectu homines ex æquo peccatores sunt omnes, respectu hoc sane distingui nec possunt, nec debent. Rom. 3, 23. cap. 11, 32. Galat. 3, 22.

§. 8. Omnes res a se invicem quodammodo differunt, quæcunque existunt, (§. 5.) Frustra enim, *in hoc mundo præsertim*, perfecte similia vel quæsi veris, vel cogitaveris quoque ut existentia. Etenim vel alterum illud cum altero, quod perfecte simile fingitur esse, unum idemque foret, per Principium Indiscernibilium: vel alterutrum certe sine ratione sufficienti existeret; quod alteri Principio generali, rationem in omnibus sufficientem postulanti, repugnat. Omnia igitur distingui possunt, & ubi opus est, debent, saltem ab *Eo* distinguuntur, qui omnes rerum affectiones, *necessarias & contingentes, possibiles & actuales, internas & externas, præsentis & futuras*, exacte pernoſcit. Perinde hoc loco est, siue differentiam hanc omnium rerum *generalem & metaphysicam*, siue *Essentialem*, siue *Naturalem* quoque vocaveris. Memineris solum, *posterio*rem Denominationem involvere ac supponere earundem existentiam, *priores* ab eadem abstrahere. Sed possunt rebus aliæ adhuc differentia superaccedere *speciales*, & hominibus quoque *morales & spirituales*, quarum infra mentio recurret.

§. 9. Quicquid ad suam ab aliis omnibus differentiam *nec plus nec minus* habere cognoscitur, quam habere quidem debet, illud *determinatum* vocatur. Ex opposito facile, quid igitur & quoadusque aliquid *indeterminatum* sit, cognoscitur. Videlicet, quousque vel minus res habet, vel plus, quam quidem ad suam ab aliis omnibus differentiam habere debet, eo usque indeterminata est. Sic *indeterminata* est *idea*, quæ vel pauciores vel & plures exhibet notas, quam quæ ad rem denotandam sufficerent. Sic *indeterminata* est *vis agendi*, quæ vel nisu prævalente in nullam partem directa est, vel nisu æquali in omnia coexistentia agere nititur, vel etiam ob rationes siue nimias
(ut

(ut in Ecstasi) five pauciores & insufficientes ad unum agendi nisum & modum restricta non est, uti in æquilibrio. Sic *indeterminata* voluntas est, quæ unum præ cæteris volendi ratione destituitur sufficienti ac præpollenti.

§. 10. Omnia, quæ existunt, à se invicem quodammodo differunt (§. 5.) hoc est, aliqua certe habent, quæ alia non habent, (ex Def. §. 6.) Igitur ad suam ab aliis omnibus differentiam non habent *minus*, quam quidem habere debent. Sed nec *plus*, quam opus est ad eandem suam ab aliis omnibus differentiam habere cognoscuntur ab eo, qui & infinitam existentium multitudinem & summam ea in hoc mundo combinantis DEI sapientiam ponderaverit. In aliis enim, quæ ad differentiam ipsorum vel non pertinere vel abundare viderentur, aliis certe similia forent. Determinata igitur omnia sunt, quæcunque vel existunt, vel ut extitura considerantur. Idem ex sequentibus forsitan luculentius patet.

§. 11. *Determinare* est facere, ut res ad suam ab aliis omnibus differentiam nec plus, nec minus, habeat, quam eo quidem fine oportet habeat. Igitur, qui rem determinat, facit, ut eadem ab aliis omnibus nec nimium differat, nec nimis parum; ideoque & facit, ut repræsentari possit, ut talis.

NOTA: Cum ista jam scripsissem, animo succurrebat, generalem Vocis (*determinare*) Definitionem me apud S. V. Canzium quoque legisse. Habetur illa in Reg. Dei Univerf. Sect. 2. cap. 3. §. 425. lit. k. neque ab ista quoad rem ipsam differt. „*Determinare*, ait, est assignare, quid „*cuique competat & quomodo ab aliis omni-* „*bus differat.*

§. 12. In Locutionibus duplex vocabuli sensus occurrit: *intransitivus* & *transitivus*. *Intransitive* non nisi de spiritibus *proprie* dicitur, qui intellectu & voluntate gaudent & *se determinare* dicuntur, quando

suam volendi & agendi vim inter plura possibilea, quæ intellectus repræsentat, objecta ad unum præ cæteris applicat, adeoque respectu objectorum plurium, itidem possibileum, differentem reddunt, ut, missis cæteris, hoc jam velint agantve vel & agere nitantur, non majori, non minori gradu. Deus igitur, cum se determinare dicitur, absque successiva deliberatione & sine antecedaneo inactivitatis statu determinasse se cogitandus est. *Transitivo* autem significato unum determinat alterum.

§. 13. Nimirum *Logice* determinamus a) *ideas* rerum, ut nec *plures* cogitantibus exhibeant notas, nec *pauciores* quoque, quam ad res denotatas quidem, ab aliis omnibus distinguendas, requiruntur: vel b) *judicia* ac *propositiones*, ut pateat, prædicata hæc, illa, subjectis, sub hac vel illa consideratione, nec *magis*, nec *minus*, vel competere vel non competere posse: vel c) *ratiocinia*, ut nec *plus* inferant ex præmissis, nec *minus*, quam quidem ex iis consequitur. Fundant ista & gignunt *cognoscentibus* similem, hoc est, *determinatam* cognitionem.

§. 14. *Metaphysice* rerum possibilitates *generatim* determinantur: a) *Essentiæ* quidem, ut nec pluribus, nec paucioribus quoque res partibus essentialibus constare doceatur, quam quæ ita eam constituunt, ut, vel una absente vel addita, res desinat esse illa res, quæ vel possibilis vel futura vel & fuisse supponitur: b) *attributa* vero, ut nec plura, nec pauciora rei attributa tribuantur, neque etiam majori nec minori gradu, quam quæ & quoadusque illa in Essentialibus rei solis rationem habent sufficientem: & c) *modi* denique, ut nec alios, nec plures, nec pauciores, nec majori, nec minori gradu ac mensura rei modos (simul vel successive) convenire *posse* statuas, quam qui & in essentia & in coexistentibus aut successivis aliis rationem habent sufficientem.

§. 15. *Physice* determinamus vim agendi existentem, cui limites ponimus, ultra quos actio ejus non pro-

protenditur amplius, ultra quos nullum amplius effectum producere nititur. Unde fit, ut hic & nunc hoc agat vis illa, vel agere nitatur, neque aliud quodcunque, nec majori id nec minori gradu vel contentione. Ita in corporibus motum motus & quoad directionem & quoad celeritatem determinat. Sic & animæ vim repræsentativam pro diverso corporis in mundo situ diversimode determinari sentio. Alio enim loco si constitutus essem, bibliotheca circumdatus & frequentiori eruditorum colloquio beatus, fortassis rectiora & determinatiora his traderem, fortassis & ampliora. Hic & nunc autem hæc animæ vis meæ percipit, non alia, hoc claritatis & distinctionis gradu, nec altiore, nec inferiore. In quo ad suam ab aliis omnibus differentiam nec plus, nec minus habet. Id circumstantiæ quidem faciunt. (§. 11.)

§. 16. Sed & *intellectus* in specie in cognoscendo ab objectorum conditione - - *voluntas* autem ab intellectu, & a motivis, ab eodem repræsentatis, determinari sæpenumero dicitur, diversa utrumque significatione. Sed quam quæso? Qualis est ista utriusque determinatio? Et in quo differt? Cum libera voluntas ob certa motiva nec majori, nec minori promptitudine vel contentione in hoc jam objectum, nec aliud, fertur, vel ab eodem retrahitur, *moraliter* eam a motivis determinari nonnulli dicunt. *Dupliciter improprie* quidem. *Moralitatem* enim motiva *per sese* volitioni non addunt. Et *physica* etiam actione volitionem efficiunt nulla, sed *objective* solum eandem non tam eliciunt, quam elicitam modificant. Inluit ambiguitas ista in doctrinam præsentem. Juvabit igitur, distinctos determinationis significatus hoc loco distinguere curatius.

§. 17. Primo quidem sæpius *objective* Determinationem *in genere* videas in locutionibus accipi, nempe pro iis, queis res determinatur: h. e. pro iis, quæ rei omnimodam ab aliis differentiam addunt.

Hoc quidem sensu res e. g. determinationes suas vel omnes vel non omnes habere, vel novas accipere, vel nonnullas amittere - - vel sub hac aut ista determinatione spectari dicitur.

§. 18. Duplicis autem generis sunt ejusmodi determinationes, vel *internæ*, quarum ratio ipsi determinato inest, ut intellectus & libera voluntas humanæ menti: vel *externæ*, quarum ratio *quoque* in rebus a determinato diversis invenitur, ut quando mens nostra veritates philosophicas vel Theologicas, has vel illas, plures vel pauciores, magis vel minus solide cognoscit; aut libera voluntas ex pluribus, optioni præpositis, eligit unum.

§. 19. Quælibet res determinata est respectu *internarum*, quæ constituitur, determinationum: *a) logice*, in sua idea. (§. 13.) & *b) metaphysice*, respectu eorum, quæ ipsi, qua enti, necessario competere intelliguntur, uti essentia cum attributis. (§. 14.) & *c) physice*, quando existit. Nihil enim, quando existit, priorum determinationum internarum amittit ullam, sed eas *jam* habet, quas, in sua possibilitate si spectetur, habere *posse* concipitur. (§. 5.) & *d) moraliter*, tum respectu *legis*, quæ (*improprie*) omnes nostras actiones determinat, hoc est, omnes certo gradu (non majori, non minori) vel bonas vel malas esse declarat: tum respectu *subjectorum*, quibus nihil indifferens esse potest, ad minimum, si in suo *sine & effectu* spectetur. (Conf. S. V. Canzii Discipl. Moral. Discurs. prælim. cap. 2. §. 48. seqq.)

§. 20. Videamus etiam de *Externis* seu *Extræessentialibus* rei determinationibus. Hæ autem ad *modos & relationes* pertinent omnes, quæ in aliis *quoque* coexistentibus rationem habent suam & ex iis intelliguntur. Sunt igitur in rebus *contingentes*.

§. 21. Interim quia, suppositis his vel illis coexistentibus, omnia omnibus competere amplius non possunt, etiam fieri non potest, ut rei in horum illorumve coexistentium præsentia vel combinatione
omnes,

omnes, *absolute* possibiles, modi relationesque competant, sed illi solum modi, qui & in re ipsa & in coexistentibus his vel illis rationem habent suam. Non *alii* similiter. Nec plures: nec pauciores. Igitur determinate hi vel illi præcise modi, hæ vel illæ relationes, non alii modi, non aliæ relationes, non plures, non pauciores, cæterum *in sese & in alia* quidem hypothese vel combinatione rei omnino possibiles. Ut primum igitur res existere & aliis coexistere cogitatur, tunc eadem (vel simul vel successive) jam habet, quæ in sua possibilitate duntaxat habere posse concipitur. (§. 5.) Determinate igitur existit respectu determinationum quoque *externarum*, quando existit, vel ut talis cogitatur. (§. 10.) Quicquid habet determinationes suas omnes, internas & externas, quas potest habere, id est omnimode determinatum. Unde *omne existens*, & quod ut tale cogitatur, est *omnimode determinatum*.

§. 22. *Determinate* ob id ipsum cognosci quoque possunt omnia, non solum ut possibilia, respectu determinationum internarum, sed & ut existentia, vel ut futura vel & ut futuribilia, h. e. sub hac vel illa conditione futura, vel conditionate possibilia, respectu determinationum quoque *externarum*, si non ab intellectu finito, certe tamen ab infinito.

§. 23. Quod si ab hoc sensu *objectivo* Determinationis distinguendum putaveris *passivum* determinationis significatum, equidem *hoc loco* non refragabor. Cæterum entia non sunt multiplicanda *præter necessitatem*. Innueret autem tunc *vox determinationis*, sensu hoc *stricte passivo*, statum, quo vis existens ad hanc illamve actionem vel acturitionem (agendi nisum intellige) ab objecto determinatur. Vel, si mavis definitionem, quæ ad priorem determinationis sensum reducitur, dic: determinationem esse statum existentis, quo determinationes externas (objectivo sensu tales) nanciscitur suas. Illis enim fit, ut existens

jam *boc* fit, non aliud, ut *hæc* agat vel agere nitatur, non aliud, non id majori, nec minori gradu. Illis etiam deinceps fit, ut, *in consequenti*, hoc prædicatum existens habeat, non aliud quodcunque, non majori, nec minori respectu.

§. 24. Pertineret ad hunc sensum Determinationis (ex loco) intellectus determinatio in rerum cognitione, quatenus circa hæc vel illa cognoscibilia sic, non aliter, versatur, ab objectis scilicet determinatus. Quo sensu quidem? Id statim inquiremus.

§. 25. Possemus tamen hoc sensu determinationis *passivo* carere, cum ad priorem, scil. *objectivum* (§. 18) reducat, si in locutionibus semper sibi constarent eruditi. Varias autem istum vocis hujus abusum objectiones contra libertatem peperisse, aliunde constat.

§. 26. Verum nec *activo & subjectivo* sensu Determinatio si sumatur, uno semper eodemque invariato significato ab omnibus, vel in communi sermone vel apud Philosophos atque Theologos, in moralibus ac spiritualibus, imo & divinis, adhiberi cognoscitur.

§. 27. Communiter *activo* sensu pro *actu* determinantis adhiberi Determinatio dicitur: *abusive* id quidem & *improprie*: cum *proprie* determinatio sit actionis *limitatio* potius, quam *positiva* actio, atque ita ad *formale* actionis magis pertineat, quam ad ejus *materiale*.

§. 28. De Deo itaque cum sensu hoc prædicatur Determinatio, (intransitivo & transitivo significato. §. 12.) cum grano salis accipienda est: nimirum *proprie* solum valere potest de *termino & objecto* partiali, circa quæ actio divina præ cæteris, nec majori, nec minori *effectu* resultante, versatur. *Eminentem* igitur determinationem intelligas, quotiescunque de Deo prædicatur, in locutionibus ex. gr. queis Deus ex pluribus, quæ *possibilia* fuissent vel *in sese & absolute*, vel etiam *respectivo* quodam sensu, præcise ad hoc vel illud se determinasse - - ex pluribus possibilibus mundis

mundis ad hujus præsentis mundi creationem sese determinasse dicitur. Nihil quippe aliud ita de Deo enunciatur, quam quod Deus, comparatis possibilibus mundis omnibus, hunc præsentem cæteris antehabuerit & infinita actione sua produxerit.

§. 29. Præsupposita igitur cautela hac, vocem determinationis ad generalem significatum reducemus, & *speciales* ejusdem postea sensus distinguemus, prout natura rerum illos vel feret vel exiget.

Est autem (*activo sensu*) *Determinatio in genere actionis specificatio*, sive *modificatio* (ferme similiter quoque dixissem *unificatio* vel *individuatio*) hoc est, *ad unum modum reductio* seu *restrictio*. *In finitis* stricte est actionis limitatio; qua scilicet fit, ut vis agendi in *hoc* jam præcise objectum dirigatur aut tendat, non in alia plura, nec pauciora, non majori, nec minori promptitudine vel conatu; qua ideo fit quoque in *consequenti*, ut nec alium, nec minorem, nec majorem effectum vis illa producat. Ita enim fit, ut ab aliis & viribus & actionibus omnino nec nimium nunc differat hæc vis & ejus actio, nec nimis parum. §. 11.

§. 30. Actio vim agendi, h. e. substantiam præsupponit. *Vere* igitur & *proprie* determinatio activa non nisi de vi, quæ existit, non nisi de substantiis, prædicari potest: *Improprie* solum de aliis, quæ substantiæ non sunt, enunciatur; uti supra de *lege*, nostras actiones determinante, (§. 19.) diximus.

§. 31. Facile ista jam ad determinationem *physicam* vel substantiarum *simplicium* vel & *corporum* transferas. Hæc quidem seorsim nec sese ipsa determinant, nec determinantur, sed, a se invicem, coexistentia determinantur. At hujus loci non sunt. De *Prædeterminatione* autem sive *præcurso* Dei infra erit dispendendum.

§. 32. *Naturalis* determinatio est, quæ agentis naturæ ita conveniens est, ut (cæteris paribus, si nihil impediatur, aut aliter determinet) semper ab eodem potest ac debet expectari. Tristi exemplo observatur

in omni homine post lapsum (antecedenter ad gratiam, qua in integrum restituitur) determinatio hæc ad malum quodcunque, quodcunque occasio patrabile suppeditat ac permittit.

§. 33. *Determinatio autem supernaturalis* est, quæ ex vi & natura agentis nec explicari, nec ab eodem expectari potest sine virtutis altioris accessione & operatione. Ita cum homines post lapsum omnes (a quorum classe *ἁπάντων* per sese excipitur) peccato hæreditario sint ad malum quodcunque, nisu congenrato, hoc est, actu primo, determinati. Gen. 6, 5. profecto *naturaliter* ad bonum se nemo hominum determinare potest, nec ab alio homine ad bonum naturaliter determinari, quoad nisu internum, hoc est, quoad actum primum. Hoc igitur in homine si contingit, supernaturalis ista determinatio est, divinæ gratiæ (prævenienti, regeneranti, convertenti &c.) accepta ferenda.

§. 34. *Spiritus intellectu & voluntate libera* gaudent omnes ex Definitione. Intellectus est facultas, distincte res cognoscendi. Intellectus igitur objectum suum, nempe res cognoscendas, non facit, sed supponit. Neque etiam liber est *quoad iudicium*, de cognitis rebus ferendum. Prout enim illas cognoscit, ita de illis iudicat. Quadrata non potest iudicare rotunda esse, neque contradictoria simul esse vera. Non potest sibi glaciem æstu effervescentem, aut sine monte vallem repræsentare. Nec alia, nec plura, nec pauciora rei tribuere prædicata potest, quam quæ illi convenire cognoscit, neque etiam majori gradu aut respectu, quam rei quidem convenire iudicat. De negationibus similiter habendum. Nec alia, nec plura, nec pauciora de rebus prædicata negare potest, quam quæ illis non-convenire iudicat. Intellectus igitur quoad actum iudicandi non liber est, sed *necessarius* ac determinatus simul.

§. 35. Sed quænam & qualis est ista determinatio? qua & cognoscens se determinat ad cognoscenda hæc,

hæc, illa, cognoscibilia? & qua ipse intellectus ab objectis cognoscibilibus ad repræsentationem rebus harmonicam determinatur? Nemo non videt, concurrere heic sensum determinationis *intransitivum* & *transitivum*, itemque *activum* & *passivum*. *Subjective* & *intransitive* seipsum cognoscens determinare vult, sed ita tamen, ut intellectum ab objectis *determinari* eo sensu patiatur, ut nec alia, nec hæc aliter cognoscat.

§. 36. *Activus* quidem, vel & *intransitivus*, determinationis hujus, sensus distinctionem postulat, si ad intellectum vel *divinum* vel *humanum* referatur. *Divinus* enim intellectus *necessario* possibilis omnia simul cognoscit, in omni etiam connexionem, uti sunt, hoc est, *adequate*, & uti ab omnibus aliis nec nimium differunt, nec nimis parum. §. 22. hoc est, determinate ac distinctissime. *Finito* autem id intellectui *necessarium* non est. *Abstrahere* potest ab his vel illis. *Successive* ad alia cognoscendo progredi potest. Adæquate nihil, distincte ac determinate pauca cognoscit generalia. Eatenus igitur finiti intellectus cognitio, videlicet cognoscendi *facultas*, *quoad exercitium*, libertati quoque subest. Libere enim mox hanc, mox illam rem, supina vel curatiori attentione cognoscere potest. (Conf. Ill. Bilf. Dilucid. Philos. Sect. 2. Cap. 2. §. 286.)

§. 37. De *divino* id intellectu cogitari non posset sine imperfectione multiplici, si abstractionem Logicam, sive repræsentationem successivam, sive minus adæquatam, sive minus determinatam, aut aliunde mancā rerum cognitionem de Eo prædicares.

§. 38. Videamus de altero determinationis sensu, quo intellectus ab objectis determinari dicitur *passive*, vel & quo (*active*) objecta intellectum determinare dicuntur. Determinare est facere, ut res ab omnibus aliis nec nimium differat, nec nimis parum. (§. 11.) Qualis igitur & quanta est objectorum in intellectum actio, talis etiam ac tanta est eorundem determinatio, qua intellectum determinant. Atqui actio ista non est, nisi
idealis.

idealis. Igitur & determinatio objectorum, qua intellectum determinant, *impropria* quoque (§. 30.) nec nisi *idealis* & *Logica* erit. Neque enim objecta faciunt, ut intellectus cogitet, nec vim in eundem exercent ullam, sed cogitanti potius intellectui *typus* & *norma* sunt, quam in cogitando non potest non sequi, prout ea vel tota plene, vel quoad partem duntaxat obiterque cognoscit.

§. 39. Perfectius cogitat intellectus sine dubio, si normæ conformiter cogitat, quam si cogitatio ejus a norma abluat, hoc est, perfectior est repræsentatio intellectus, si rebus conveniat, quam si non conveniat.

§. 40. Quatenus harmonica rebus non est repræsentatio, eatenus etiam indeterminata cognitio est, videlicet *objective*. Res enim in sese & *objective* determinatæ sunt omnes. (§. 21.) Quæ igitur cognitio illis harmonica est, ea itidem determinata sit oportet.

§. 41. *Idealis* ista vel *Logica* intellectus determinatio itaque ad ipsius perfectionem pertinet. (§. 38, 39.) Quo magis enim intellectus repræsentatio repræsentatis rebus consentit, eo major cognitionis existit perfectio, ex Definitione. De intellectu itaque divino quoque tuto potest prædicari. Divinus enim intellectus omnia cognoscit necessario quidem & determinate, uti sunt. Quod si vero impossibilia cogitare posset intellectus divinus, ut possibilis: tum maxima non amplius esset divinam repræsentationem inter & ipsas res harmonia: tum idem non amplius esset idem; reclamante primo & fundamentalis omnis cognitionis principio.

§. 42. Vocavimus hanc intellectus determinationem, *passivo* sensu, & objectorum intellectus determinationem, *activo* sensu, qua nempe intellectum determinant, quia coincidunt, *idealem* & *Logicam*. (§. 38.) Teneamus hanc Denominationem fixo vocabulo pro distinctione hoc loco. Voluntatis enim determi-

terminatio *ab illa nonnihil* differt. Libera enim & *quoad actus volendi* manet: intellectus autem determinatio, *quoad actus judicandi*, non item. (§. 34.)

§. 43. Eodem nomine utramque determinationem *conjunctim* insignivit S. V. Canzius, utramque (in *Philos. fundam. passim*, maxime §. 1110.) *Logicam*, „ appellando, *propter analogiam, quia appetitus voluntatis in bonitate objecti rationem sufficientem ita habet, quemadmodum Conclusio in præmissis*, ut scilicet nec plus sit in appetitu objecti, nec minus, quam in motivo, sive objecti bonitate, atque ut ex motivo intelligi possit, cur voluntas nec majori, nec minori gradu *hoc* objectum præ cæteris appetat eligatve, hoc velit, non aliud quodvis, determinate. Hinc & motivum voluntatis ibidem vocat, quod eam *logice* determinat. l. cit. *Theol. Nat. Sect. I. P. I. c. 10. §. 1111.* Pro ambiguitate autem cavenda hoc loco & hanc voluntatis determinationem, *passivo* sensu, & motivorum determinationem, qua voluntatem determinant *active*, seorsim consideremus &, si diversa est ab illa priore, scil. intellectus determinatione, *diverso* quoque nomine distinguamus, bona quidem, ut sperare licet, cum S. V. Præceptoris pace.

§. 44. Voluntas (*in genere*) est promptitudo applicandi vires ad obtinendum bonum, quod ab intellectu, ut tale, fuit repræsentatum. Omnis itaque voluntas & vires, executioni volitionis inservientes, & intellectum præsupponit, cujus repræsentationes sequitur & ex cujus repræsentatione volitio intelligitur. Omnis voluntas est igitur promptitudo *rationalis* in genere.

§. 45. Id, ex quo intelligitur, cur aliquid sit, *ratio est objectiva*. *Subjective* autem ratio est perspicientia rationum objectivarum sive nexus veritatum. Quod igitur rationes objectivas habet, id *rationabile* est. *Rationale* autem est, quod potest id, quod rationabile est, perspicere, hoc est, unum ex altero intelligere. *In signo rationis & naturæ rerum* id, ex quo

quo alterum intelligitur, antecedit, alterum vero, quod ex altero intelligitur, illud sequitur, si vel *tempore* nonnunquam utrumque *simul* fit. Quatenus itaque *rationalis* est voluntas (quæcunque fit) eatenus rationem objectivam a priori seu antecedentem sequitur, ab intellectu repræsentatam. Ejusmodi ratio volendi est motivum. Motivum itaque semper volitione (natura certe, si non tempore quoque) prius est. Rationalis autem voluntas semper motivum sequitur, ab intellectu repræsentatum. Irrationalis itaque voluntas esset, quæ sine motivo vellet. Hoc est, non esset voluntas ex definitione. (§. 45.)

§. 46. Patescit hoc etiam ex generali veritate: Nihil fit sine ratione sufficienti. Ratio volendi motivum audit. Nihil itaque voluntas vult sine motivo sufficienti. De Noluntate similiter statuendum.

NOTA: *Finis* igitur non est motivum seu ratio volendi *sufficiens*. Ex fine enim non potest intelligi, cur voluntas *hoc* velit, non *aliud* quodcunque itidem possibile. *Omnia* velle voluntas potest ex fine, *ut placeant*. Sed quæritur: cur *hoc* velit voluntas *præ cæteris* omnibus? Cur non *omnia* velit, ut *omnia* placeant? Prior heic ipso fine ratio adsit oportet, quæ voluntatem ad hoc, non aliud, volendum determinat, & illa quidem *sufficiens*.

§. 47. Sufficiens autem ratio potest esse ad *possibilitatem* rei, sed nondum ad ejus *actualitatem*. Ita vires agendi pares, saltim infinitæ, & huic & illi possibili dare existentiam *possent*, sed non dant *actu*. Cur quæso? Nimirum eo casu sufficiens ratio in viribus agendi, saltim infinitis adest, ut *possibilis* quidem res sit, at non, *ut fiat*. Possunt enim sufficientes vires & ad hæc objectum possibile applicari & ad aliud, hoc modo & alio, majori vel minori aut nisu existente, aut effectu certe resultante. Ad existentiam igitur amplius quid requiritur, quam nuda rei
 possi-

possibilitas. Possibilitas adhuc insufficientis ratio est existentia rei. *Potest* homines Deus, *si vires Ejusdem spectes*, omnino omnes ad æternos cruciatus detrudere: sed non detrudit omnes.

§. 48. Similiter de *motivis* statuas. *Sufficiens* est illud *motivum*, ex quo volitionem (*actum volendi*) ita intelligas, ut nihil amplius requiratur. *Insufficiens* contra motivum est, quoadusque aliquid amplius requiritur, ut intelligi possit, cur velit voluntas potius, quam nolit? cur nolit potius Noluntas, quam velit?

§. 49. Sed possunt motiva adesse, ut velle possis & hoc & illud, præsertim in sese *seorsim* spectetur utrumque: sed insufficientia tamen esse possunt illa, ut *actu* velis aut hoc aut illud, si cum aliis compares. Sic aliis possibilibus mundis, quos non creavit Deus, tot & tam variæ perfectiones potuissent inesse, ut, harum respectu, *velle* potuisset illorum creationem in sese & *extra comparisonem* cum hoc præsentis, quem creavit, & possibilibus cæteris prætulit, si quidem abstrahere posset. Et, si creatus actu fuisset alius possibilis mundus, finitus fortasse intellectus imperfectionem ejus *respectivam* detegere non potuisset unquam. Interim DEO tamen insufficientia fuerunt motiva, istum alium possibilem mundum *actu* creandi & huic, quem creavit, antepo-
nendi.

§. 50. *Ratio sufficiens simul determinata* est, ex qua non *generatim* solum intelligi potest, cur res possibilis sit vel fiat potius, quam non fiat: sed & *speciatim*, cur non aliud quodcunque ex æquo possibile sit vel fiat, & cur *hoc* potius modo possibile sit vel fiat, non *alio* quocunque. Vel, si mavis: Ratio determinata est, ex qua *nec plus* intelligi potest, *nec minus*, quam cur res HOC prædicatum habere possit, vel habeat, non aliud quodcunque, neque illud majori nec minori gradu ac respectu. Ita motivum illud simul est *determinatum*, ex quo nec plus intelligi potest, nec minus, quam cur voluntas libera quidem ex pluribus eligibilibus HOC maxime velit, non aliud? cur id nec majori promptitudine vel

nifu velit, nec minori? Facilis est Definitionis ad determinatam Noluntatis rationem inflexio.

§. 51. Nihil voluntas vult sine sufficienti motivo (§. 45. & 46.) Quotiescunque igitur voluntas, in comparatione plurium, cæteris unicum præfert & sua electione ab omnibus distinguit, etiam hujus facti discriminis ratio sufficiens adfit oportet, ut ex eodem intelligi possit, non modo, cur ex pluribus eligere velit voluntas, sed &, cur *hoc* præcise velit ex pluribus? cur non aliud quodcunque? cur nec majori hoc gradu? nec minori quoque? At ista ratio sufficiens vocatur determinata, vel determinatum volitionis motivum. (§. 50.) Nihil itaque vult voluntas, nihil Noluntas averfatur sine motivo *determinato*. Determinata volitio semper determinata quoque motiva arguit, quæ sequitur: & ex determinatis motivis semper determinatam quoque volitionem arguere & intelligere licet.

§. 52. Et cum determinata motiva differentiam volitionibus addant (§. 51.) ex diversis quoque motivis diversa volitio intelligetur, & eadem ex iisdem. Et vice versa: diversa volitio diversa quoque motiva arguit, similia similis, eadem una eademque. Si eadem sæpe motiva sunt & diversa tamen in diversis volitio ejusdem rei existat, memineris diversum quoque in diversis de momento & pretio motivorum esse judicium, & hoc motivis includi, si diversam volitionem producant.

§. 53. Sufficiens motivum vocatur *præpollens*, quod voluntati plus suadet, quam alia quæcunque repræsentata: quod voluntati majorem volendi rationem præbet, quam alia quæcunque, quæ intellectui obversantur. Ejusmodi autem sunt motiva determinate sufficientia (§. 48. & 50.) Determinate sufficientia motiva sunt igitur voluntati quoque in volendo præpollentia. Omnis igitur voluntas motiva quoque *præpollentia* sequitur.

§. 54. Jam si motiva voluntatem determinant, faciunt, ex Definitione generali (§. 11.) ut ejus volitio hæc ab aliis volitionibus nec nimium differat, nec nimis parum: faciunt, ut voluntas ad hoc præ cæteris volendum

nec

nec majorem promptitudinem exferat, nec minorem: vel, quod eodem recidit, voluntatem in volendo ad unum objectum & volendi modum restringunt.

§. 55. Sed quomodo? qualis & quanta est illa motorum in voluntatem *actio*? An *realis* & *physica*? quæ intrinsicam & physicam voluntati necessitatem afferret? quæ voluntatem vel invitam inclinaret & in se flecteret? Id absit per omnem modum! Vim enim *physicam* motiva non habent, qua in voluntatem agere & eam in se flectere possent. Neque etiam volitionem eliciunt, uti motus a motu in corporibus producitur, in genere *Causæ Efficientis*. Idcirco & motorum determinatio, qua voluntatem in exercitio determinant, *realis* & *physica* non est. (§. 31.) Sed *impropria* generatim. (§. 30.)

§. 56. Jam supra (§. 42. & 43.) innui, quod, ambiguitati cavendæ, hoc loco animus non sit, etiam hanc *Voluntatis* & *motorum* determinationem, qua voluntatem determinant, appellare *Logicam*, uti illam *intellectus* & *cognoscibilem*. (§. 38.) ut ei *analogam* sit. (§. 43.) a) Manifesto enim ab illa quoque *hæc* differt, diverso igitur cognomine etiam distinguenda. Tum vero b) abuti quis posset ista denominatione contra veritatem, ad voluntatem quoque si transferatur. *Logice* enim *Conclusio* a præmissis ita determinatur, ut *necessario* quidem *ex iisdem consequatur*. *Voluntatis* autem *actus* a *motivis non item*. *Libera* adhuc *voluntatis* determinatio & *oppositum* ejus quoque possibile manet, etiam si, *motivis præpollentibus* positis, *infallibiliter* sequatur & *oppositum volitionis* (*actionis*) certissime non sit existiturum.

§. 57. *Voluntas* ipsa vult bonum, quod placet, domestica promptitudine, sponte ac libere: sed *hoc* vel *illud* præcise, *hoc* gradu non majori, nec minori, non vult sine ratione determinata, sine motivo determinato. (§. 51.) *Motiva* determinata igitur sunt voluntati, ex pluribus electuræ, præpollens ratio, cur unum cæteris anteferat. (§. 53.) *Voluntas*, nec coacta, nec invita, sed spontaneo nisu & in libertatis testimonium quoque, volendi rationes sequitur præpollentes, ut volitionis modus & gradus

quoque motivis respondeat & ex iisdem intelligi possit *determinate*, hoc est, ita, ut nec plus in volitione libera sit, nec minus, quam quod ex motivis intelligi potest.

§. 58. Vocaveris igitur pro distinctione hanc voluntatis determinationem *intellectui harmonicam*, seu *motivis conformem*, seu *rationalem* in genere. Intellectus enim motiva voluntati suppeditat. Et quatenus *rationalis* est voluntas, eatenus repræsentationes intellectus in exercitio sequitur. Motivorum vero impropriam determinationem, qua voluntatem determinant, appellaris *rationabilem*, id est, *rationalem objective talem*, *normalem* & *exemplarem*. Liberæ nimirum voluntati, ex pluribus electuræ, nonnisi exemplar & norma sunt, cui conformiter, intrinseco instinctu, se exercet. Ultraque in exercitio voluntatis coincidit. Coniunctim itaque intellecta *rationalis* determinatio voluntatis manet.

§. 59. Perfectior sine dubio est voluntas, quæ in operando sic intellectui harmonica est, quam quæ non esset. Perfectior est voluntas, quæ rationem in exercitio ducem sequitur, quam quæ cæca quasi procederet. Perfectior est voluntas, cuius volitionem inter & eius objectum accurata intercedit connexio & proportio, quam si nulla inter utrumque harmonia & proportio foret. Major perfectio voluntatis existit, si motivis volitio & volitioni motiva nec plus, nec minus respondent, quam fieri quidem debet de jure, hoc est, ex rei veritate. Minor contra voluntatis perfectio foret, si alterutrum vel excederet vel deficeret, videlicet si vel plus esset in volitione, quam motiva rei suaderent voluntati aut plus in motivis momenti ac meriti, quam in volitione & eius gradu, vel etiam si minus esset in volitione & eius gradu ac modo, quam ex motivis intelligi posset & cum ratione appeti, aut si minus momenti & rationis in motivorum complexu inveniretur, quam in modo & gradu volitionis. Major in hoc casu dissensus, major in priore consensus in varietate oritur. Dubio procul itaque ista *rationalis* determinatio voluntatis (§. 58.) ad eius perfectionem pertinet. Tuto igitur de omni, etiam divina, voluntate potest prædicari.

§. 60. Sed nondum determinavimus omnia, quæ circa voluntatem ejusque determinationem *rationalem* in genere considerata veniunt & extra ambiguitatem sunt collocanda. Nondum enim ex hæctenus dictis *distincte* perlucescit, utrum motiva cum voluntate *coincidere* possint? an vero minus? An voluntas velle quid possit ex hac sola ratione, *quia velit?* an vero id nulla ratione fieri possit? Motivum ejusmodi (si quidem vocari motivum mereretur) *absolute subjectivum*, quippe ab ipsa voluntate non distinctum, esset.

§. 61. Quæcunque autem voluntas vellet, quia vellet, illa vellet, quia vellet. Ponamus vero tantisper jam, voluntatem τ& A. velle aliquid ex hac sola ratione, quia velit. Ergo Voluntas τ& A. vult, quia vult. Absurdissimo sane syllogismo, qui cogitari potest unquam, & ab omni saniore Logica & ratione prorsus abludente! Nemo enim non videt, medium terminum in eo *formaliter* ingredi Conclusionem, atque sic illum in forma idem per idem probare, hoc est, principium petere, atque illud non nisi repetere, cujus reddenda ratio fuisset.

§. 62. Ejusmodi igitur motivum *absolute subjectivum* si pro ratione volitionis allegetur, saltem *abusive & æquivoce dictum* motivum est, non autem *verum*, non *idoneum*, non *rationale*, non *sufficiens*. Semper enim aliquid amplius requireretur, ut intelligeres, cur velit voluntas ideo solum, quia velit? cur *hoc* velit? cur non aliud quodcunque? Imo vero tollit id potius omne motivum verum, quod ponere vult videri. (Conf. S. V. Canzius loc. cit. in Theol. Nat. Sect. 1. P. I. C. X. §. 1115.) Voluntas est promptitudo rationalis. Nihil vult ista sine motivo vero ac determinate sufficienti. (§. 51.) Non cadit igitur in eam irrationalis ejusmodi determinatio, qua ex motivo absolute subjectivo velle aut eligere creditur.

§. 63. Quod si vero non cadit in voluntatem irrationalis hujusmodi determinatio, quæ cum voluntate *coincideret*, hoc est, qua vellet aliquid ideo solum, quia vellet. (§. 62.) & sine determinato motivo tamen nihî

velit ulla voluntas. (§ 51.) plane consequitur, motiva *extra voluntatem & ab eadem* distincta esse. (§ 7.) Quodcunque vero motivum est *extra voluntatem*, illud est *objectivum*. Est enim tunc in illo *objecto*, circa quod voluntas versatur, sive illud *objectum voluntatis* deinceps sit ipsum volens *subjectum*, sive res alia, non solum a voluntate, sed & ab ipso volente simul distincta. *Priori* casu evaderet motivum *respective* duntaxat *objectivum*, scilicet respectu *voluntatis* solum, non autem respectu *volentis subjecti*. *Posteriori* autem casu motivum est *absolute objectivum*. (Conf. *Canzius* in *Discipl. Moral.* *Append.* *Cap. 7.* §. 103. *b. seqq.* ubi & *objectionibus*, quæ contra formari solent, respondet. Adde, si placet, *Ejusdem* *Philos. Fundam.* in *Psychol.* *Sect. 1.* *Cap. 17.* §. 2476. *seq.*) In utroque autem casu motivum voluntatis *objectivum* maneret. Manet igitur firmum quoque, *omnem voluntatem motivis duci objectivis*.

§. 64. Etenim *objectum* est, circa quod aliqua vis vel facultas versatur. *Objectum* igitur a vi & facultate, quæ circa illud versatur, & vice versa, vis & facultas a suo *objecto*, circa quod versatur, necesse est differat, adeoque & distinguatur possit. (§. 7.) Quod autem ab altero discernibile est, illud est *extra alterum*, si non semper *materialiter*, certe tamen *formaliter*, hoc est, sub illo certe respectu, quo vis aut facultas aliqua circa *objectum* suum versatur. *Objectum* igitur est *extra vim & facultatem*, quæ circa illud versatur, certe *formaliter*, si non *materialiter* simul. Unde *objectum* *Voluntatis* etiam, *formaliter* certe, *extra voluntatem* sit oportet. Id quod & vel exinde patescit, quia voluntas *objectum* suum non facit, sed supponit, ab intellectu scilicet *repræsentatum*, adeoque & *extra se* supponit. Nihil autem voluntas vult sine ratione. (§. 45. & 46.) Ratio volendi motivum est. Voluntas ipsa suæ volitionis motivum esse non potest. (§. 62.) Omne igitur voluntatis aut volitionis motivum est in eo quærendum, quod *extra voluntatem* est & circa quod versatur, hoc est, *in ejus objecto*. Quod idem est, ac si dicas: *nihil voluntatem velle sine motivo objectivo*:

Elivo : & omnem voluntatem determinationis suæ rationem sufficientem habere in objecto.

§. 65. Et cum nihil voluntas velit sine determinato motivo, (§. 51.) etiam *objectiva* ejusmodi motiva voluntatis *determinata* sint oportet.

§. 66. Nihil voluntas vult, nisi quod placet. Nihil placet, nisi quod intellectus ut conveniens, ut perfectionem inferens, hoc est, ut bonum, repræsentat. Nihil itaque vult voluntas, nisi sub ratione boni, ab intellectu repræsentati sive distincte cogniti. Quod si nihil vero voluntas sub mali ratione velle naturaliter & rationaliter potest, eadem ex ratione, conversa propositione, illa quoque censenda est velle, quicquid sub boni ratione intellectus repræsentat. Vel quod idem est: Quicquid bonum esse & commodum sibi intellectus judicat, id volibile voluntatis objectum esse censetur. Eadem ex ratione de Noluntate oppositum per te ipsum similiter enunciabis.

§. 67. Nihil voluntas vult, nisi sub ratione boni, ab intellectu repræsentati. (§. 66.) Motivum voluntatis igitur bonitas rei est, quæ maxime placet, ab intellectu repræsentata & objecto volibili adjudicat. Motiva voluntati determinationem addunt rationabilem (§. 57. seq.) Itaque bonitas rei, quæ maxime placet, ab intellectu repræsentata, voluntatem rationabiliter determinat. Bonitas ista rei, ab intellectu repræsentata, est extra voluntatem (§. 63.) adeoque *objectiva*. (§. 64.) Idcirco *bonitas objectiva*, ab intellectu repræsentata, voluntatem *rationabiliter* determinat.

§. 68. Motivum voluntatis determinatum sit oportet. (§. 51.) Nihil itaque vult voluntas, nisi sub ratione bonitatis *objectivæ*, maxime placentis, ab intellectu repræsentatæ, *determinata*, nil nisi ex motivo bonitatis *objectivæ determinato*. Similiter etiam *Noluntas* nihil averfatur, nisi ex imperfectionis *objectivæ determinato* motivo.

§. 69. Cum nihil Voluntas velit, nisi quod placet: inter plura bona æqualia, eodem negotio impe-

trabilia, id illa sine dubio volet, quod maxime placet, quod intellectus pro optimo habet (sive vere tale sit illud, sive apparenter duntaxat.) Majus itaque bonum semper anteponet minori. Inter mala vero, si quod admittendum, minus admittet. Conf. S. V. Canzii Philos. Fundam. in Psychol. §. 2428. *seqq.*

§. 70. Et *semper* id exspectari potest ab omni voluntate, ut id præ cæteris velit, quod maxime placet; adeoque & ut majus bonum minori & minus malum majori anteponat, (§. 58.) qua nihil vult, nisi sub boni ratione, qua maxime placens aliis præfert, & optimum, quod habet, omni spiritui est *naturalis*. (§. 32.)

§. 71. Finitorum Spirituum voluntas, finitum quippe intellectum secuta Ducem, per ignorantiam & errorem, vel & per negligentiam, a veri boni electione potest aberrare, stimulis (non veris motivis) obliquata. Sed illud tamen non cadere potest in voluntatem, infinito intellectui prælucenti harmonicam. *Hæc* igitur vere optimum semper, *illa* sæpius apparenter duntaxat optimum vult pro vere tali. *Generatim* utraque tamen ad optimum, quod cognoscit, inclinatur naturali promptitudine (§. 70.) In hoc igitur *naturalem* & *generalem* seu *metaphysicam* bonitatem omnis voluntatis consistere dicas, ut non velit, nisi quod bonum est, ut velit, quicquid ei placet, ut velit adeoque, quicquid bonum est (vere vel apparenter) ut proportionate velit unumquodque, ut majus bonum magis velit, quam minus, ex majori ratione. (§. 69.) Prima hæc Voluntatis consideratio est, quæ alios ejusdem respectus, *morales*, verbi causa &c. antecedit.

§. 72. Nihil Voluntatem sine determinato motivo velle ostendi (§. 51.) Sed inde consequitur, voluntatem ex multis non velle aut eligere unum, *quia omnia ex æquo placent*. In ejusmodi enim volitione & electione plus esset, quam in motivis. Volitio igitur & electio ista non esset determinata. (§. 9.) Motiva enim hoc casu, quoniam *ex æquo omnia* placere suppo-

supponuntur voluntatem non determinant ad *unum*, cæteris ex æquo volibilibus & eligibilibus anteferendum. Quando igitur voluntas unum tamen præ cæteris vult & eligit, *magis* id placuisse debet. *Magis* autem placet, quod *melius & convenientius* vel est revera vel certe tamen videtur. Quod itaque voluntas præ multis aliis vult & eligit, id, sive per se sive per accidens, melius & convenientius quoque præ aliis visum esse oportet. Ex æquo igitur omnia placere non potuerunt. Absurda igitur est ipsa æqualium hypothesis. Quid mirum, si absurdum ex illa sequatur? Ut non jam pluribus addam, hypothesin æqualium etiam illis repugnare, quæ supra (§§. 8, 10, & 21.) adstructa fuere.

§. 73. In casu æqualium motivorum, (si daretur,) indeterminata voluntas maneret. (§. 9. & 72.) Alias sine ratione volitio esset; quod generali Principio repugnat. (Conf. Ill. Bilfinger. Dilucid. Philos. Sect. 3. c. 3. §. 298. cum Nota, & Canzius in Theol. Nat. Sect. 1. cap. 9. p. 244.) Frustra igitur in illo casu, in ficta ejusmodi *indifferentia æquilibrii*, quam nemo hucusque demonstrare potuit, libertatis dignitatem quæras, quæ libertate potius indignissima est. Cæcam enim indifferentiam istiusmodi voluntatem supponit & irrationalem, non motivis harmonicam, non intellectu, non ratione ductam ac directam.

§. 74. Quod si forte quis putet, voluntatem ex pluribus velle unum & eligere posse, *ut de futuro placeat*, mirifice profecto fallitur. Nam *a) eodem fine & cætera omnia* velle voluntas posset, *ut de futuro placeant*. Cur ergo cætera non vult *eodem fine*? Sane præpollens ac determinate sufficiens ratio nondum adest, cur unum cæteris in electione voluntas anteponat? *Æquilibrii indifferentiam* itaque & hoc figmentum supponit, sed absurdam, uti (§. 72. & 73.) docuimus.

§. 75. Tum vero *b) Voluntatis electio* ea, quæ placent, non facit, sed præsupponit, uti voluntas in genere objectum suum supponit, non facit. (§. 64.)

Numquam Voluntas *c*) quoque vult finem sine motivo. Propter finem agit, *ut existat*. Propter motivum vero agit, *quia existit*, ex Deff. Finis igitur motivum esse non potest. (§. 46.) Ut taceam *d*) quod nisi vel promittitudine sua voluntas, in se spectata, perfectiorem non reddere possit rem, quam obtinere vult, experientia teste. Id autem hypothesis ista supponit. Temere vero! (Conf. Canzium l. c.)

§. 76. Motiva sunt extra voluntatem, (§. 63.) quam in volendo determinant. (§. 51.) Pertinent igitur ad determinationes voluntatis externas, quæ rationem quoque in aliis habent. (§. 18.) Determinatio rei externa est *conditio*. Conditio est vel *antecedens* vel *concomitans*, vel *consequens*. Quicquid voluntatem determinat, id, *natura* certe, prius est ipsa voluntatis determinatione. Hæc enim ex illo, tanquam ex ratione a priori, intelligitur. Motiva igitur *in genere* ad conditionem *antecedentem* pertinent, sub qua aliquid vult & cæteris antefert voluntas. Quodsi itaque nihil unquam vult voluntas sine motivis, nihil sine motivis præpollentibus, nihil sine motivis determinate sufficientibus, (§. 51. & 56.) profecto nihil etiam vult voluntas sine *conditione antecedente in genere* seu *generatim* spectata. Conditionatum *absolute* opponitur. Nihil itaque voluntas vult *absolute*. Vel si mavis affirmative enunciatum æquipollens: Quicquid Voluntas vult, id vult *sub conditione antecedente in genere*. Quænam est *generalis* ista conditio *antecedens*? Responderi ex antecedentibus facile potest. Nimirum conditio *bonitatis*, vel, in collisione, *melioritatis* in objecto vel *absolute* vel *relative*, sub qua objectum placet vel præ aliis placet, & sine qua nihil vult nec eligit voluntas. Nihil enim voluntas, *qua malum*, velle potest cum ratione. (§. 66, 70, 71.)

§. 77. *Absolutismus Philosophicus* est, qui docet, voluntatem aliquid velle & eligere ex pluribus posse *absolute*, seu *absque conditione ista antecedente generali*,
hoc

hoc est, sine motivis præpollentibus & determinate sufficientibus, ab objecto petitis, (§. 63. & 76.) quæ voluntatem determinant. (§. 51.) Docet igitur, determinationem voluntatis ad hoc vel illud, non *extra* voluntatem quærendam esse.

§. 78. Omnis voluntas est promptitudo rationalis, quæ obtinere aliquod bonum studet. Quatenus ergo rationalis est voluntas, eatenus rationem sequitur ducem (sive subjectivo sive objectivo sensu rationem hoc loco sumas) (§. 45.) Atqui si quicquam sine ratione vellet aut eligeret, profecto rationem non sequeretur ducem atque adeo a naturali sua determinatione (§. 70.) descisceret. Eo igitur casu seipsam voluntas abnegaret & naturæ suæ difformiter ageret, hoc est, plane irrationalis evaderet. (§. 45.) Absolutismus Philosophicus igitur ex voluntate rationali facit irrationalem; quod est absurdum.

§. 79. Determinatio voluntatis ista *naturalis*, (§. 70.) quatenus scilicet *rationalis* & intellectui harmonica est, (§. 58.) tum *moralem* respectum nanciscitur, quando *obligationi* conformiter vel difformiter fieri cogitatur. Moralis igitur voluntatis determinatio (etiam *activo* & *subjectivo* & *intransitivo* sensu) est ejusdem rationalis, obligationi vel conformis, vel difformis, determinatio. Quid determinatio in genere sit, supra dictum vide sis. (§. 29.) Obligatio autem libertatem præstruit. Ergo & moralis determinatio sine libertate cogitari non potest.

§. 80. Facile jam generalem hanc definitionem in suas abire species cognoscimus. *Bona* enim & *recta* est moralis determinatio voluntatis, quæ obligationi fit conformiter. *Mala* autem & *perversa* est voluntatis determinatio, quæ fit contra obligationem. Toto die posteriorem hanc videas licet in iis, qui habitum male agendi longa consuetudine contraxerunt.

§. 81. Ad bonum *vere tale* volendum & *malo* vel *apparenti bono* præferendum omnis Spiritus generatim obligatur. *Illud* enim *revera* perfectionem infert: *hoc*

autem

autem inferre perfectionem *videtur* quidem, sed re-
vera imperfectionem infert. Quo rectius igitur utrum-
que cognoscat intellectus, eo majorem quoque ratio-
nem inveniet voluntas, verum volendi bonum, & id
malo five & apparenti bono anteferendi. Obligatio
est connexio motivi cum actione. Cum veri boni vo-
litione majora & graviora motiva sunt connexa. Ad
Verum adeoque bonum volendum obligata est omnis
voluntas.

§. 82. Tum vero voluntas est promptitudo rationalis, *naturaliter* ad id determinata, ut rationes præ-
pollentes seu plus suadentes sequatur. (§. 70.) Nihil
agere contra naturam suam tenetur. Peccat, qui con-
tra naturam suam agit intelligens. Voluntas itaque
naturaliter quoque obligata est ad vere bonum volen-
dum, utpote in quo præpollentes & graviores, si in-
tellectus ipsius attendat, rationes invenit, illud vo-
lendi præ malo aut apparenti solum bono.

§. 83. *Irrationalis* omnino evaderet voluntas, quæ
a seipsa descisceret, nimirum, quæ bonum illud non
sequeretur, quod volendi tamen majores & plus sua-
dentes rationes haberet. (§. 45.) Omnis autem vo-
luntas est promptitudo rationalis in genere. (§. 44.)
Naturæ igitur suæ convenienter agere tenetur. (§. 82.)
Omnis adeoque voluntas obligata est ad vere bonum
volendum & malo anteferendum.

§. 84. Etiam Deus abnegare seipsum non potest.
(2. Tim. 2, 13.) Etiam Sibi suisque attributis, eo-
rumque harmoniæ, hoc debet, ut nec malum bono,
nec minus bonum majori bono præponat. Faceret
enim, quod suis attributis repugnaret. Obligatus
igitur *non aliunde, sed sibi ipsi*, est Deus ad malum,
quocunque, salva sapientia, fieri potest modo, evitan-
dum, & bonum malo præferendum, majusque malum,
in collisione, minori postponendum. Unde & *natu-
raliter & moraliter* voluntas Dei ad bonum vere tale
determinata est. (§. 70. & 81.) Sed ideo tamen ad
bonum ab *externo principio* necessitata non est. Libere
enim

enim id vult, cuius oppositum attributis divinis repugnaret. (Conf. Canzii Disc. Mor. Discurs. Prælim. cap. 2 §. 30.)

§. 85. *Moraliter bona* voluntatis determinatio igitur etiam illa est, qua ad *verum* bonum sese determinat. Ita enim obligationi conformiter se determinat. (§. 81.) Et *mala moraliter* est voluntatis determinatio, qua ad malum, sive bonum apparens duntaxat, quod revera & in effectu certe malum esse cognoscitur, voluntas sese determinat. Difformiter obligationi enim fit ista determinatio. *Spiritualiter mala in specie* vocatur ista determinatio, si malo spiritui originem suam debet.

§. 86. Quodsi insuper *sapientia* determinationis *moraliter bonæ* comes esse cogitatur, nova eo respectu consideratio voluntati accedit. Quatenus enim *moraliter* quoque *bona* est voluntas, eatenus vult, quicquid vere bonum est & nonnisi bonum vere tale, in se seorsim consideratum: eatenus vult omne possibile bonum atque id solum. Quatenus autem *simul* sapientiam comitem habet, omne vult bonum vere tale, quod quidem & quoadusque compossibile & ordinabile est. Sapientia enim ex Definitione media finibus subordinatur. *Nexum spectat & ordinem.* Voluntas igitur *moraliter bona sapientis* ea est, quæ inter plura vere bona vult melius, adeoque optimum, respective tale.

§. 87. Duplex autem est in *sapiente moraliter bona* voluntatis determinatio, pro ratione obligationis diversa, vel *absoluta* vel *respectiva*. *Absoluta* quidem, qua inter plura bona, vere talia, ad melioris & optimi electionem liberum est (rationaliter) determinata. Nihil enim impedit eo casu, quominus majorem voluntas rationem, seu præpollentia motiva, sequatur & obligationi conformiter quidem sequatur. *Respectiva* autem determinatio voluntatis *moraliter bona*, quatenus in *sapiente* spectatur, locum habet in *collisione*, hoc est, in concursu bonorum & malorum vere talium permittendo vel admittendo; in quo *sapientis* voluntas,

tas, si permissio ob graviores rationes inevitabilis est, ad prælationem seu electionem *minoris* mali determinatur. (§. 69.) Evitanda enim inconvenientia est, quæcunque evitari potest. Inconvenientia autem esset, rationali voluntatis determinationi adversa, si *majus* malum admitteret, quod evitari tamen potuisset, minori solum admissio.

§. 88. Nititur etiam divisione hac *formalis* distinctio voluntatis, qua vel ut antecedens vel ut consequens consideratur, de qua in capite sequenti applicate docendum. Hæc non nisi generales utriusque Definitiones allegabimus, momentum infra ponderaturi. *Antecedens* Voluntas vocari solet, quæ obtinet nondum consideratis omnibus actionis circumstantiis & motivis: sive, quæ velle cogitatur ex motivis incompletis. *Consequens* autem voluntas, perpensis demum omnibus, locum habet; & motiva adeoque completa sequitur.

§. 89. Si contradictoria esse putas, cum *rationalem* & *metaphysice bonam* voluntatis determinationem nihilominus, *moralis* respectu, simul malam & perversam esse nonnunquam posse (§. 80.) infero: non mea culpa id ita videri memineris. Etenim *a*) vocabulo (*rationalis*) ambiguitatem intrudi, continuo sentis. Equidem supra voluntatis determinationem non nisi ex *generali* argumento & respectu *rationalem* vocavi, quia sine ratione sufficienti nil vult voluntas, nec unum cæteris temere præfert. (§. 57.) Quo sensu scilicet omni Enti intelligenti competit & naturalis est. (§. 70.) Atqui vel pessima quæque & perversissima voluntas tamen nihil vult sine ratione, nihil vult, nisi quod placet, nihil vult, nisi sub boni ratione. (§. 66.) Objectivis itaque rationibus conformatur, adeoque & *generatim* rationalis est. (§. 58.) Tu autem fortassis *rationali moralem* quoque respectum (§. 81. *seq.*) addis, quo simul obligationi conformiter & non nisi *verum bonum* & vere melius de jure velle deberet voluntas, a quo *generalis* illa denominatio tantisper abstrahit.

§. 90. *b*) Nihil quidem vult nisi sub ratione *boni* voluntas.

voluntas *in genere* : sed bonum illud vel *verum* esse potest vel *apparens in specie*. Sed ad discrimen hoc bonitatis non attenditur in *generali* determinationis voluntatis consideratione. In specie enim novi *summam & perfectissimam* rationem non nisi in Deo esse nec nisi divinam voluntatem dirigere ad optimum vero sensu tale. In creatis finita & imperfecta est ratio *absolute* loquendo. In hominibus post lapsum a natura omnibus *corruptam* cognoscimus rationem, quid pravis cupiditatibus inserviat, perspicentem & carnis stimulos præ veris motivis audientem, verum & ita impuritatem in volendo secum ferentem & voluntatem a veri boni appetitu avocantem & obliquantem. Novi etiam, in paucis *plenam* esse rationem, quæ vitam præsentem cum futura eademque æterna solícite connectit : in multis duntaxat *semiplenam*, quæ hujus solum vitæ felicitati conducant, intelligentem, ex S. V. Canzii Philos. Fundam. cap. 1. §. 3. &c. Verum a *specialibus* his rationis considerationibus *generalis* ista denominatio, ut dictum, abstrahit.

§. 91. Nescio equidem, an plura sint in superioribus tradita, circa quæ Lector benevolus hæere dubius posset. Emendarem ista & explanarem ulterius & argumentis firmarem, si quæ minus perspicua aut recepta præsentirem. In tritis autem non esse prolixum oportet. Hujusmodi autem pleraque sunt, quæ hucusque poscimus. Finire igitur vel tandem hoc Caput præliminare possemus, si non & observatum fuisset, a Dissidentibus etiam in ambiguitate, phrasi (*ab altero pendere*) intrusa, suæ causæ præsidium quæri. Deum, aiunt a *nulla conditione* in volendo ac decernendo *pendere*. Videamus igitur sub finem breviter, quid hoc rei sit?

§. 92. Quod sui rationem in altero habet, id ab eodem eatenus *pendere* dicitur. Vario autem sensu aliquid in altero rationem potest habere suam : varie igitur ab altero quoque dependere.

§. 93. Primo quidem *attributa* rationem suam in
sola

sola essentia habent, *modi* & in essentia & in aliis connexionis quoque, modi derivativi in primitivis. &c. Quam dependentiam, ob *generalem* considerationem, recte *metaphysicam*, *generalem* vel & *principii dependentiam* vocaveris. In specie *dependentia causæ* est, qua aliquid in actione alterius substantiæ rationem habet; uti omnis effectus in sua causa.

§. 94. *Dependentia Logica* duplicis esse generis potest: a) vel *objectiva* seu *cognoscibilitatis*, quæ in ipsis ideis & propositionibus inest, qua suam rationem in aliis, natura certe, prioribus habent, uti ideæ & propositiones subordinatæ, uti Conclusio in præmissis: vel b) *subjectiva* seu *Cognitionis*, quæ, cur talis sit determinate, rationem in repræsentato objecto habet. Ita triangulum, quod ante oculos est, tribus lineis & totidem angulis distinctum cognosco. Non possum vero illud vel ut quadratum vel ut rotundum cogitare. Intellectus igitur in cognoscendo a circumstantiis & conditione objecti *logice* pendet. Qui omnia, uti sunt, sibi repræsentat, ille ab omnibus igitur *logice* dependet. Rationem quippe hujus repræsentationis suæ in objectis habet, queis intellectus *logice*, (non *physice*,) conformatur.

§. 95. Ita qui fines omnes & omnia media simul cogitat, non potest sibi *seorsim* fines repræsentare & *postmodum* media facere pro lubitu, sed ex natura rei ea, uti sunt & a se invicem dependent, cogitare debet. In qualibet igitur re fines operis, hoc est, usus ejusdem omnes, & in combinatione cum aliis, finem operis optimum repræsentat, qui iterum mediis rationem & usum habet ad alium finem obtinendum usque ad ultimum. Itaque fines operis sunt fines operantis. Omnes rerum fines, excepto ultimo fine omnium, sunt *media* quoque & *fines* pro diverso respectu. Quatenus fines sunt, eatenus rationem habent in mediis, quæ faciunt ad illos obtinendos. Eatenus igitur a mediis dependent, ex Def. (§. 92.) Media autem a fine nunquam dependent. Media enim fines operis,
hoc

hoc est, usus varios ex se & sua natura habent (antequam existunt, *possibiles* tantum) ad varios itaque fines operantis media fieri possunt. Sed in Systemate non possunt *omnes* rerum usus *possibiles* fieri optima media ad optimum finem. In Systemate igitur sapiens non nisi *optimos* rerum usus (sive fines operis) eligit. Et finis operantis *ultimus* seu *generalis* tunc a fine operis omnium rerum non nisi *formaliter* diversus est. Rationem quippe habet in optimo rei cujuslibet usu, quem, si existat, præstare potest.

§. 96. Dicam expressius, quorsum ista spectent? Si ex me quæras: cur hæc præcise media Deus elegit, non alia? ambigue nolo respondere: quia optime faciunt ad finem optimum obtinendum. Posses enim & eo interpretari hoc modo responsionem, ut & *media dependere a fine* ex illa concludas. Id nolim. Cur quæso? Scilicet quia finis Dei operantis cum fine operis rerum omnium optimo coincidit. Igitur sic malo respondere: Deus hoc, illud, medium eligit, quia inter varios, quos habere posset, usus, etiam optimum quendam usum in certa (*hac*) cum aliis combinatione habet, qui usus ejusdem (seu finis operis) tunc ipse Dei finis operantis evadit. Ita omnes rerum usus, computatis omnibus, optimi sunt finis Dei operantis ultimus seu generalis, si generalissime consideretur. Ita *dependentiam mediorum a fine* inferre non potes. Sapiens enim electio optimi cujuslibet rei finis operis sive usus non arguit alium Dei finem operantis, ab illo ipso diversum. Caveas modo, ne rem vel particulam modumve ejus decerpas & seorsim in particulari spectes, quæ in toto cum reliquis omnibus nexu consideranda fuisset, uti à Deo consideratur.

§. 97. Voluntas in volendo intellectum & ejus repræsentationes sequitur, ut volitiones ex motivis intelligi possint, quæ intellectus repræsentat. In motivis igitur volitiones rationem habent suam, hoc est, a motivis dependent. (§. 92.) Sed planum est ex antecedentibus, quo sensu? Ex rei veritate enim mo-

tiva voluntatem nec cogunt, nec physico actu volitionem ejus eliciunt nec efficiunt: sed rationem duntaxat præpollentem ac determinate sufficientem illi exhibent, sine qua velle nihil præ aliis solet. Voluntas in exercitio manet, quod est, nempe promptitudo rationalis, quæ cum se exferere vult, rationem sponte & naturæ suæ conformiter sequi mavult, quam nullam. A motivis itaque nonnisi *rationabiliter* dependet. Eo scilicet modo & gradu dependet, quo per ea determinatur. Atqui voluntas a motivis nonnisi *rationabiliter* determinatur. (§. 58.) Vocaveris itaque Dependentiã hanc voluntatis a motivis, uti determinationem motivorum, *rationabilem*.

§. 98. Conditio est determinatio rei *externa*. A conditione igitur pendet in volendo voluntas, quæ rationem volitionis suæ habet in determinatione aliqua, quæ *extra* voluntatem seu ei *externa* est. Jam vero satis supra docuimus, motiva (univocè talia) esse istiusmodi determinationes voluntati certe, si non semper volenti, externas, (§. 76.) & voluntatem in illis rationem suæ volitionis determinatam habere, (§. 51.) adeoque ipsam voluntatis determinationem antecedere. (§. 45.) Voluntas igitur in volendo a conditione dependet, volitionem antecedente.

§. 99. Quum vero motiva sint ista conditio antecedens, (§. 76.) a motivis autem voluntas nonnisi *rationabiliter* dependeat (§. 97.) perspicuum est quoque, aliam voluntatis a conditione objecti Dependentiã intelligi non posse, quam *rationabilem*. (§. 97.)

§. 100. Sed nec veritas aliam voluntatis ab objecto Dependentiã postulat, (§. 58.) nec quisquam alius, qui voluntatem *absolute* quid velle negat. Id infra quidem videbimus in applicatione.

CAPVT II.

De Voluntate Dei in genere, itemque de duplici ejusdem respectu, quo vel Antecedens vel Consequens vocatur.

§. 101.

Ad voluntatem divinam recurrit omnis in hac materia Quæstio. Quæritur enim, an *absolute* aliquid velle - an absoluto aliquo decreto decernere possit Deus quorundam hominum vel salutem vel damnationem? De voluntate DEI igitur *in genere* prius dispiciendum est, ut, quid *in genere* velit & velle possit Deus? quid minus? plane pernoscamus. Brevibus id fieri potest & plerisque omnibus ad priora reductis.

§. 102. Quid enim voluntas in genere sit, supra (§. 44.) dictum est: nempe promittitudo applicandi vires ad obtinendum bonum, ab intellectu repræsentatum. Reddamus iam promittitudinem hanc in idea infinitam & omni respectu perfectissimam, & habebimus divinæ voluntatis ideam. Deus enim & infinitus & perfectissimus est omni respectu. Adeoque & ipsius voluntas infinita & perfectissima sit oportet.

§. 103. Infinita autem voluntas non esset, cui intellectus non præluceret infinitus, ut vel (respectu *objecti*) non *omne* bonum in *omni* spatio ac tempore possibile, vellet, vel ut (respectu *modi*) aut *successive*, pluribus actibus, unum post alterum, aut unumquodque non *proportionatissime*, ut ita dicam, hoc est, non pro *omni possibili* suæ bonitatis mensura & valore, vellet.

§. 104. Ex altero latere *perfectissima* quoque voluntas non esset, quæ prælucenti infinito intellectui non prorsus harmonica esset. (§. 59.) Intellectus vero infinitus omnia omnino possible repræsentat, uti sunt & ab omnibus differunt, hoc est, *adaquate* ac *determinate* ex Def. (§. 9.) Harmonica autem huic in-

tellektui voluntas non esset, cujus volitio huic intellectus repræsentationi non responderet exacte, quæ vellet bona apparentia solum & falso existimata, aut quæ vellet non satis cognita, aut quæ vel plura vel pauciora in objecto motiva decisione sua statueret, quam revera eidem insunt, aut quæ motivis etiam vel plus momenti tribueret, vel minus, quam eorundem verus valor meritumque permittit, vel iterum, cujus volitio altera alteri repugnaret, alteramque altera retexeret, vel denique, quæ in vanum vellet, hoc est, quæ potentia non sustentaretur, efficiendis, quæ vult, sufficiente.

§. 105. Istis omnibus igitur à voluntate divina abesse jussis, *a*) omnia bona in universum, & *b*) simul, & *c*) pro gradu & mensura bonitatis quodlibet suæ & *d*) constanter sibi que semper similiter & *e*) efficaciter quoque vult, infinita potentia executioni præsidente. Prima hæc voluntatis divinæ consideratio est & *generalissima* quidem.

§. 106. Præsupposita autem hac tuto generalia ad voluntatem divinam transferas, quæ supra de omni voluntate spirituum in *genere* vera esse ostendimus, absque ulla indignitate, in Deum exinde redundante.

§. 107. Nulla scilicet voluntas quicquam vult sine ratione a priori, seu *antecedente*, sine motivo præpollente, (§. 53.) eodemque sufficiente. (§. 45. seq.) ac determinato (§. 51.) Idem igitur de divina etiam valebit voluntate. Ipse etiam Deus nihil quicquam vult sine ratione a priori seu motivo præpollente, sufficiente ac determinato.

NOTA I. Metus non est, ne Deus, hac propositione admissa, a principio quodam *extrinseco* in volendo determinetur. Motiva enim, quæ omnem voluntatem determinant. (§. 51.) non sunt aliquid extra Deum. Repræsentantur enim ab Ejus intellectu. (§. 58. & 67.) Neque voluntatem nisi *rationabiliter* determinant. (§. 58.) Quænam inde in Deum injuria resultat, si nihil
sine

sine motivo, seu ratione à priori, velle dicatur?

NOTA II. A Denominatione *Causæ impulsivæ* abstineo de industria, ut inanis liticula præscindatur, quæ olim agitata fuit sub Quæstione: *An voluntatis divinæ causæ impulsivæ proprie dicta detur?* an minus? Vid. Joh. Musæi Colleg. Anti-Wendel. Disp. V. Q. 2. p. 269. seq. & Disput. VI. Q. 2. p. 273.

§. 108. Rursus cum nulla voluntas quicquam velle possit ex motivis *absolute subjectivis*, (quæ motiva nonnisi *equivoco* dicuntur) (§. 62. & 63.) idem quoque a divina voluntate absit necesse est. Quicquid igitur vult Deus, id ex motivis vult *objectivis*. (§. 63. & 64.) Quo nomine igitur & qua de causa indignum id Deo posset dici, quod *omni* voluntati *naturale* est. (§. 70.) quod ad metaphysicam voluntatis perfectionem pertinet? (§. 59.) Quanam, quæso, indignitas est, si divina quoque voluntas repræsentationem intellectus sui, tanquam volendi rationem sequatur? si ab objecti bonitate nonnisi *rationabiliter* determinetur? (§. 67.) si a motivis non pendeat, tanquam *ab extra* invito obtrusis, sed tantum *rationabiliter* (§. 97.) & a suo intellectu repræsentatis? si physica actione motiva in Deum non agant ulla? (§. 55.) Remove autem a divina voluntate motiva: tum sine ratione vellet, qui summa tamen Ratio est. An contradictorium hoc Tu concoquere posses? An stare id posse cum generali principio putas; quod rationem omnium postulat sufficientem? An ullam veritatem adhuc firmiter stare existimares, ista si Deo deneges? Annon quidlibet ita fieri posset ex quolibet?

§. 109. Verum & æquilibrii indifferentia divinam in Voluntatem nulla cadit, quia cadit in nullam voluntatem *in genere*. (§. 72. & 73.) Unde & nihil vult Deus aut velle potest, vel, *ut de futuro placeat*, (§. 74. & 75.) vel *quoniam ex æquo placent omnia*. (§. 72.)

Conf. Canzius in Theol. Nat. Sect. 1. c. 9. p. 244. ubi scite ostendit, quod perfectissime æquiponderans Dei electio, si asseratur, contra fundamentalem Logicæ regulam offendat, quæ plus esse in Conclusionem, quam in præmissis est, vetat. Ita enim concluderet:

Omnia & singula, quæ perfectissime æquivalent, sunt eligibilia.

Atqui A, B, C, D, &c. sunt eligibilia.

Ergo C. *eligitur*.

Plus est in Conclusionem quam in Præmissis. In Præmissis non est, nisi *eligibilitas*: in Conclusionem autem est electio *actualis ac determinata*.

§. 110. Ob id ipsum vero, quia nihil absque motivis objectivis iisque determinatis velle Deus potest, (§. 108.) etiam *absolute* (hoc est, ut *conditionem objecti nullam antecedenter* respiciat) velle Deus nil quicquam potest. Cum ratione idonea negatum hoc idem & supra fuit de *omni* voluntate in genere. (§. 76.) De Voluntate igitur Divina nulla cum ratione potest affirmari. Divina igitur voluntas hoc sensu est *conditionata generatim*. *Speciatim conditionata* esse cogitatur, quando conditionem Deus respicit in creaturis liberis contingentem & ab ipsarum arbitrio pendulam, tanquam motivum. *Specialius conditionata* cogitatur Divina voluntas, si fidem & incredulitatem in ordine salutis respicit, tanquam motivum Electionis aut Reprobationis. *Specialissime conditionata* cogitatur divina Voluntas, cum refertur ad fidem aut incredulitatem *hujus vel illius Individui*, tanquam ad motivum determinatum Electionis ipsorum vel Rejectionis determinatæ.

§. 111. Deus pro infinito, quo pollet, intellectu, respicit omnes omnium rerum determinationes, adeoque & morales, liberarum puta & contingentes, creaturarum liberarum determinationes. Si nihil vult Deus, nisi respectu ad conditionem objecti antecedaneam
habito

habito, (§. antec.) nihil quoque vult idem circa creaturas racionales, ut non antecedenter quoque ad liberas illarum actiones, tanquam ad conditionem ipsarum, respiciat. Sed de hac specie infra ratiocinabimur speciatim.

§. 112. Doctrina, quæ contrarium, & absolute aliquid velle posse Deum, statuit, *Absolutismus Theologicus in genere* vocari per me potest, ad Analogiam *Absolutismi Philosophici* (§. 77.) *Absolutismus Theologicus generalis* itaque docet, Deum velle aliquid posse absque motivis objectivis sufficientibus, iisque determinatis, & negat adeoque, Deum objecti conditionem, tanquam sufficientem ac determinatam volendi rationem respicere; solam adeoque voluntatem Dei pro ratione actionis divinæ allegat.

NOTA. Ne multa superflue & inutiliter distinguantur, meminisse oportet, etiam *generalis Absolutismi Theologici* hujus se invicem Theologos olim infimulasse, quorum alii fundamentum Fœderis Gratiaë *remotissimum* quoque & primam omnis benevolentiaë divinæ, erga lapsum genus humanum, radicem in Christo ejusque satisfactione quæsi-verunt, alii vero primum istum benevolentiaë divinæ erga homines lapsos actum antecedere meritum Christi statuerunt. Quid enim? priores dixere: Si absque intuitu meriti Christi & antecedenter ad illud gratiam nobis primam conferre potuit Deus, tum ille actus divinæ commiserationis est *absolutus*, superiori significatu. *Posteriores* autem regesserunt: non videre istos id manticaë, quod in tergo fit: idem quippe de Constitutione Satisfactoris, Christi, reponi posse. Si omnis benevolentia Dei erga miseros in Christo fit fundata, tum nihil *antecedenter* movisse Deum, ut filium miseris donaret suum; tum temere & sine ratione a priori,

hoc est, absolute inventum esse hoc medium reparandæ salutis lapsorum hominum: prævisionem ægrorum antecedere prævisionem medicinæ: misericordiam referri ad miseros, nec sine his dari: meritum Christi ejusque inventionem & destinationem esse benevolentia quadam antecedente posteriorem &c.

Facilis decisio liticulæ exsequentibus est repetenda, heic tamen, si ita videtur, indice digito anticipanda. Facio cum *posteriori* sententia & generalem Dei voluntatem, qua omne vult bonum, adeoque & omne malum à creaturis suis omni possibili & optimo modo avertere vult, in signo rationis, antecedere meritum Christi, neque tamen sufficientissima ratione objectiva destitutam esse arbitror. Qui enim ad totum universum respicit & generatim ad optimum propendet, ille multa cum ratione objectiva, etiam ad defectus & lacunas, toti per peccatum illatas, vel potius in eodem relictas, respicit & illas, quo potest fieri modo, explere studet. Planum id est ex sequentibus, quando jam Voluntatem consideramus, quatenus & bona est & quatenus bonitas ejus sapientiam quoque comitem habet.

§. 113. Neminem hæc distinctorum distincta consideratio male velim habeat. Diversus enim ejusdem rei respectus distinctionem realem a parte rei nullam infert, sed *formalem* duntaxat & in *signo rationis* talem. Circa divinam autem Voluntatem postulat ejusmodi distinctionem & nostræ finitudo cognitionis & diversitas objectorum, ad quæ divinus idem unicus volendi actus diverse refertur. Et bene etiam illa se habet consideratio, si nulla ex eadem in Deum imperfectio & injuria redundet. Id quod sollicite quidem cavendum. „*Nihil enim in Deo prius & posterius est tempore, nihil reipsa multiplex, multo minus*
„*ad-*

„adversum & pugnans. Semper sibi Deus in omnibus constat. At in creaturis aliquando non solum tempore disiectum est voluntatis posterius arbitrium, sed & sententia differt. (Conf. Ill. Bilf. de Orig. & Perm. mali Sect. 2. §. 228. p. 171. qui a §. 226. ad 241. totus exscribi huc posset. Adde S. V. Canzil Theol. Nat. Sect. 1, Cap. 9. §. 84. & 85. p. 250. seqq.) Equidem potiora heic meum in morem inflectam, ut distincte satis de divisione hac statui queat.

§. 114. Divina voluntas quæcunque vult, uno & simplicissimo actu vult. (§. 105.) interim *formaliter* & in signo rationis (rationatæ puta, quæ idoneum in objecto fundamentum habet) *generatim duplex* voluntatis divinæ consideratio est, quatenus *essentialiter* & *naturaliter*, id est, antecedenter ad attributa Dei *moralia* consideratur, quæ libertatis abusum impediunt, sapientiam puta & sanctitatem: & quatenus iisdem conjuncta, adeoque *moraliter* simul, considerata, circa objecta versari vel ad illa referri cogitatur. Sine dubio *prior* consideratio voluntatem Dei *antecedentem in genere* repræsentat, quæ nondum consideratis omnibus circumstantiis & motivis obtinet. (§. 88.) Plures enim respectus & completa magis motiva reliquorum DEI attributorum accessus voluntati ipsius suppeditat. Posteriori autem respectu ex Definitione evadet *consequens in genere*. (§. 88.) Quid utraque velit seorsim & conjunctim considerata? ex supra dictis determinare facillimum est.

§. 115. Ad *priorem* Voluntatis divinæ considerationem refero bonitatem illius, quæ *duplex* iterum intelligi potest: a) primo *generalis* illa & *metaphysica* & *essentialis* & omni voluntati communis, qua omnis voluntas in bonum fertur & nonnisi bonum vult, *naturali determinatione*. (§. 66. & 70.) Perinde erit, quonam hanc voluntatis bonitatem nomine velis insignire? *Absolutam* (respectu *objecti*, non respectu *motivi* §. 76.) vocare illam licet, quia omni voluntati, omni loco ac tempore competit, *circa quæcunque ob-*

jecta versatur, sive *possibilia* sint solum, sive existant quoque. (§. 66.) Vocabis etiam *essentialem* & *naturalem* spirituum bonitatem, quia omni voluntati essentialis & naturalis est. (§. 70.) Equidem pro ambiguitate dictionis cavenda, *generalem* hanc & *absolutam* bonitatem voluntatis potius *essentialem* & *naturalem* ejus perfectionem dixero & ad eandem ista omnia retulero, quæ ex generalibus supra positis de Voluntate Dei *in specie* illata leguntur. (§. 103. seqq.) „Scilicet, vi hujus, divina etiam voluntas propendet „ad bona, perfectiones & realitates in universum omnes, „in omni etiam combinatione, seorsim spectata, possibiles, serio id quidem, etsi pro diversis bonitatum gradibus & meritis. Aliter summam & infinitam in Deo „bonitatem seu perfectionem venerari non liceret, si quod „illa bonum a divina approbatione excluderet.

§. 116. Intelligi vero etiam potest *b) specialis* bonitas voluntatis, quæ transfundere perfectiones in alios studet, quarum sunt *generatim* capaces. In Deo quidem ex priori *hæc* consequitur, modo existentiam & capacitatem objectorum divinæ voluntatis supponas. Ob id ipsum quippe divina voluntas, quia fertur in *omne* bonum possibile, pro suo cujusque gradu & merito, omnia quoque bona largiri vult aliis omnibus, quorumcunque sunt *generatim* capaces. Aliter *omne* bonum non vellet, si bona aliis, quorum capaces tamen essent, largiri nollet. *Respectiva* igitur & *transitiva* hæc voluntatis divinæ bonitas esset, & prioris illius *absoluta* & *naturalis* (§. antec.) *consequens*.

§. 117. Pro diverso hoc itaque bonitatis respectu, in ordine ad consequentem Dei voluntatem, diversum quoque *voluntas antecedens* nomen obtineret, quo antecedens vel *generalis* vel *specialis* dici posset, itemque vel *remote* & *absolute* vel *respective* & *conditionate* antecedens. (§. 115. & 116.) Superflua autem erit distinctio hæc & nulla tamen ambiguitas, si priorem, nempe *absolutam* & *essentialem*, voluntatis bonitatem ad præsupposita, ad *essentiam* & ad *naturalem* ejus

eius perfectionem, referas, ut solus posterior idemque proprius bonitatis (nimirum *transseuntis & respectivæ*) significatus remaneat. Meminisse oportet hujus rei, si infra voluntas antecedens, in ordine ad gratiam, lapsis conferendam, *specialior & specialissima* fiet.

NOTA. Tædiosum est tot verbis cavere vitiligationes debere. Ut huic & illi tamen satisfiat, jungamus hoc loco consideratione nostra significatum bonitatis utrumque, & videamus vel tandem, quid inferat uterque, prout ad suum quæque objectum competens refertur? *Priori* significato voluntas Dei antecedens generalis (§. 117.) respectum habet ad omnia bona possible, quotquot aliqua approbatione digna sunt, sive hactenus ut singula & extra connexionem cum aliis spectentur, sive ut combinata quidem considerentur, sed seorsim tantisper & nondum comparate. Quousque bona sunt, pro merito vult unumquodque suo. (§. 115.) At de hoc satis dictum esse putamus. Videamus igitur de altero bonitatis significato, (§. 116.) indicato.

§. 118. *Bonus* (hoc sensu *posteriori*) est, qui aliis conferre perfectiones studet. Bonitas igitur promptitudo est, aliis perfectiones conferendi. Deus omnī respectu est infinitus. Voluntas igitur ejus infinite etiam *bona* est. *Ut talis* itaque refertur etiam ad res existentes, hoc est, omnibus, quæ existunt, omnes possibile perfectiones conferre studet, omni loco, omni tempore atque omni mensura, *quantum in se est*. Si res in nexu cum aliis spectantur, adde limitationem: quas earundem capacitas & cum aliis nexus quidem deinceps permittet. Etiam hæc bonitas *transiens* vel *respectiva* in Deo *naturalis* est. Etenim fundamentum ejus est ipsa Dei essentia, necessario dignissima, quæ aliis *infinite benefaciendo patefiat*, id est, quæ omnibus, omni loco ac tempore *tantum* benefa-

ciat,

ciat, *quantum potest*, *generatim*, loquendo & tantisper abstracte.

§. 119. Sat rationis igitur est in natura divina, ad creaturas relata, voluntatem DEI ut ita bonam considerandi, antecedenter ad id, quod postmodum fit de *facto*, quando aliæ etiam rationes in censum venere. Tantisper consideratio hæc voluntatis divinæ abstrahit, an & quousque talis in consequenti maneat, si & aliæ relationes accedant pensitandæ, si sapientia bonitatem hanc administret & ponderatis omnibus, decidat. Tunc enim, si impedimenta adsint in creaturis vel *naturalia* vel *moralia*, fieri non potest, ut omnes absolute possibiles perfectiones creaturis *actu* conferat, *salva sapientia*, sed eas duntaxat, quæ *compossibiles* & optimum in modum *ordinabiles* manent. Hæc autem divinæ voluntatis consideratio est *posterior*. De ea igitur deinceps videbimus.

§. 120. Voluntas ad objectum refertur, circa quod versatur, (§. 64.) diverseque ad diversa objecta (§. 52.) Voluntas igitur divina non minus ad diversa etiam objecta diverse, diversa promptitudine & diverso bonitatis *specialis* (§. 116.) argumento referatur oportet. Supponamus autem, in *specie* illam referri ad creaturas racionales, temporales & æternæ felicitatis *generali sensu* capaces, sed liberas ob idipsum & libertatis adeoque usum pariter atque abusum in suo arbitrio & potestate habentes. (§. 79.) Quodsi jam quærat: quid velit? aut velle possit divina voluntas antecedens, quatenus bona est, cum circa racionales & liberas ejusmodi creaturas versatur? difficilis ex antecedentibus responsio non est. Quia enim respectu bonitatis *generalis*, quam (§. 115.) vocavimus, omne possibile bonum vult *in genere*, profecto omne etiam possibile bonum in *hac specie* censenda est velle divina voluntas, *quantum in se est*: Nimirum & ut libertatis abusum omnino caveant, & ut omnem, cujus, *generali sensu*, capaces sunt, felicitatem obtineant creaturæ hæc racionales. Libertatis abusus, sive per-
versus

versus ejusdem usus, perfectionis detrimentum inferret, adeoque sine dubio malum esset. (§. 81. seq.) Eum igitur velle aut approbare in sese divina voluntas optima non potest. Malum boni defectus est. Deus omne vult bonum. Nullum ergo vult malum. In quo & sanctitas divinæ voluntatis fundatur. Sed æque minus velle potest illa creaturarum rationalium infelicitatem, quatenus *malum* est & in sese consideratur. Ob rationem eandem. Aliter *omne* non vellet bonum possibile; quod iterum infinitæ bonitati repugnaret.

§. 121. Sed & respectu bonitatis *specialis* (§. 116.) ita a nobis dicta, Voluntas Dei antecedens omnibus quoque existentibus bona omnia vult largiri, quorumcunque sunt generatim capacia. Igitur & rationalibus, quæ existere cogitantur, creaturis omnibus felicitatem destinat & largiri vult, quæcunque maxima est possibilis & cujuscunque sunt *generali* sensu capaces.

§. 122. Qui finem vult, velle etiam media censendus est. Seorsim id amplius atque extra omnem cum aliis combinationem dari non posset executioni. In Systemate igitur seu combinatione cum aliis aliqua, *abstracte* ac *seorsim* considerata, finem si vult antecedens divina voluntas, hoc est, felicitatem omnium creaturarum rationalium omnem respective possibilem, hoc est, cujus sunt in illa combinatione cum aliis capaces, (§. 118.) profecto vult omnia quoque media, ad finem illum obtinendum facientia, seu opportunitates omnes omnibus creaturis rationalibus vult largiri, quibuscunque felicitatem non interruptam eandemque maximam obtinere possent.

§. 123. *Antecedens* igitur divina voluntas est *universalis* respectu bonitatis & *generalis* (§. 115.) & *specialis* (§. 116. & 118.) Nullum quippe bonum a sua approbatione, nullamque creaturarum a beneficiis excludit, quorumcunque est capax generatim. (§. 120.) Et rationalibus creaturis in *specie* opportunitatem non denegat ullam, quacunque felicitatem veram & maximam consequi possunt, si facere velint & ipsæ, quod
rationi

rationi consentaneum est, si libertate sua insipienter non abutantur. Penes Deum ejusque bonitatem impedimenti nihil excogitari potest.

§. 124. Neque etiam de *Efficacia* ejusdem dubitare nos finit infinita, quæ executioni voluntatis divinæ præsidet, *potentia*, propter quam velle in vanum divina voluntas non potest, licet in consequenti sapientia nonnisi compossibilia ordinet, adeoque nonnisi ea *actu efficiat*, quæ maximam Dei gloriam *conjunctim* tueri possunt.

§. 125. Infinitæ rerum combinationes sunt possibile. Possibilium enim nullus est numerus. At voluntas Dei infinite bona est necessario. (§. 115.) *Antecedente* igitur voluntate Deus vult omnia in omnibus combinationibus bona in sese, quatenus bona sunt & eadem efficere studet, quantum fieri potest, & conferre paratus est bona & opportunitates ad felicitatem consequendam facientes rationalibus, si quæ cuidam combinationi inesse intelliguntur, creaturis omnibus, quantum in se est. (§. 120. seqq.) Quum vero creaturæ rationales libertatis, qua gaudent, usum pariter & abusum in sua potestate habeant, *contingens* profecto est, utrum abuti sua libertate velint? an minus? In hac vel illa igitur Combinatione rerum, in hoc vel illo Systemate (hactenus enim *abstracte* loquimur) contingens conditio divinæ voluntatis obiecto accedit, a qua abstrahere non potest divinus intellectus & quæ itidem in plena voluntatis decisione in censum venit. *Non enim tenetur Deus creaturarum „rationalium felicitatem solus promovere, nisi & ipsæ, „quod suum est, faciant.*

§. 126. Ponamus jam, esse Systema aliquod mundi, esse combinationem aliquam rerum, in qua, si existat, creaturæ rationales libertate sua abuti & malum adeoque, sua culpa, systemati illi inferre cognoscuntur, uti dubio procul ab infinito intellectu præcognosci possunt, etiamsi abusus iste libertatis sive perversa voluntatis determinatio *contingens* sit in rationa-

tionalibus creaturis. Quæritur tunc, quamnam relationem ad diversum hoc Systema, ad diversam ejusmodi rerum combinationem, habeat divina voluntas, quatenus ut infinite bona spectatur? Perspicuum ex superioribus est, MEDIAM quandam Dei voluntatem, in relatione ad hujus generis Systema, in quo bona malis sunt commixta, cogitandam esse. Scilicet, generalis intuitu bonitatis, malum, quæ malum, velle Deus & approbare non potest ullo sensu. (§. 120.) Aversatur itaque tam serio omne id malum, quod libertatis abusu suæ Systemati introducunt creaturæ rationales, quam serio vult omne bonum antecedente voluntate. (114.) Quum vero & multum boni adhuc in ejusmodi Systemate remaneat, sane id tamen eatenus velle cogitanda est divina voluntas, quæ omne vult bonum possibile. (§. 115.)

§. 127. Sed & specialis respectu bonitatis abusum beneficiorum suorum detestabitur hoc casu Deus, & nihilominus infinite boni laudem, quocumque fieri potest modo, tuebitur, tot beneficentiæ suæ testimoniis existere jussis, quot existere nihil impedit & optimi Gloria deposcit. Nihil autem impedire, quominus omnia existant, infra distincte docebimus. Sed & optimi gloria hoc ipsum plane deposcit, Deo certe vindicanda, ut, si existat ejusmodi systema, opportunitates & media, felicitatem creaturarum rationalium promoventia, tamen eidem inexsistant, licet creaturarum rationalium aliquæ, neglectis turpiter præsentibus ad felicitatem mediis, sua libertate culpose & contra finem abutantur. Pone enim, opportunitates & media, quibus creaturæ rationales felicitatem consequi possent, si vellent, ideo ex Systemate illo exesse, quia multæ eadem neglecturæ prævidentur: tum sibi Ipsi Deus & bonitatis suæ laudi non esset satisfactorius. Ipse enim bonitatis infinitæ specimen in isto Systemate non videret. Neque etiam creaturæ rationales dici possent eo casu negligere id, quod tamen existit nunquam. Idoneum itaque distinctio-

nis

nis *formalis* fundamentum & rationem in objecto habet MEDIA Dei voluntas, quæ ad bona malis mixta refertur. Sed hæc tamen nondum, ut *decidens* & *finalis* cogitatur. Nondum enim omnia venerunt in censum. Nondum illa bona malis commixta cum *omnibus aliis* comparata cogitantur.

§. 128. Pergamus igitur ad alteram quoque divinæ voluntatis considerationem, (§. 114.) indicatam, qua bonitas ejusdem summam quoque *sapientiam* habere comitem simultaneum cogitatur, & quo respectu *Voluntas consequens* (*generatim* spectata) vocari *potest* & *solet*. *Potest* quidem: sapientiæ enim consideratio *formaliter* & in signo rationis *non antecedit* bonitatis considerationem, sed sequitur. Ordinat enim sapientia, quicquid voluntas, ut bonum, velle potest pro gradu & mensura bonitatis suæ. Ordinat beneficia, quæ creaturis conferre vult suis, ad optimum finem obtinendum. Et fundamentum considerationis hujus quoque idoneum in objectis est, quorum alterum in altero rationem habet, atque ita eodem posterius est, ad quæ idem itaque divinus & simplicissimus volendi actus ita quoque referatur necesse est, ut altera ejus relatio in altera rationem habere cognoscatur. Neque etiam ulla ex distincta hac distinctorum consideratione in Deum aut ejus attributa, etiam simul sumpta, indignitas redundabit. *Solet* vero etiam ita considerari & vocari voluntas Divina non a Theologis solum in materia *speciali* de Gratia salutari: sed a Philosophis quoque in *generali* divinæ voluntatis, circa totum hoc universum versantis, consideratione. Conf. Ill. Bilfingerus & S. V. Canzius loc. cit.

§. 129. Sapientia *generatim* finibus media subordinat, ex Definitione. Non igitur amplius res in sese solum & singulas spectat, sed ut ad finem obtinendum coordinabiles. *Nexum sapientia spectat & ordinem*. Bonitati igitur ubi adjuncta cogitatur, *bona mutuo combinata oportet tanquam media contemplari & fines*.

§. 130. Divina sapientia est summa, quæ cogitari potest & infinitæ bonitati conjuncta cogitanda. Omnia igitur in omnibus bona & optimum in modum coordinabilia cognoscit, & optima quæque media optimis & amplissimis finibus subordinat. *Sapientia* „(infinita) *omnia omnibus attemperat, neque partem* „*duntaxat respicere, sed universum valet mediis suis* „*atque finibus instruere.*

§. 131. Qualis igitur & quanta sit *voluntas DEI Consequens?* & quam relationem ad objectum habeat? ex prioribus determinare facillimum est. *Hoc* respectu res Deo non amplius obversantur, ut singulæ, aut ut compositæ quidem, sed partiales tantum & seorsim spectatæ, sed *universæ simul omnes & comparatæ.* Quamnam vult ex omnibus divina voluntas infinita bonitate pariter ac Sapientia munita? Aut quot vult ex istis combinationibus ut existant? Non vult plures ex iis, quæ in sese possibles sunt, combinationibus rerum, si *una omnes reliquarum perfectiones contineat.* (§. 87.) Sine dubio eam volet præ cæteris existere, quæ fini suo est convenientissima. Finis Creationis est gloria DEI. Gloria Dei est patefactio divinarum perfectionum, potentiæ, bonitatis, sapientiæ *summæ.* Non vult igitur eam rerum combinationem, in qua *summam* ipse potentiam, bonitatem ac sapientiam patefacere non posset, nec patefactas adeoque perfectiones suas in opere suo intueri. Non vult igitur imperfectiorem perfectissima possibili rerum combinatione. (§. 87.) Sed ob id ipsum quoque non vult, PLURES ut existant rerum combinationes, quam una eademque optima & perfectissima *omnium*, in qua omnes perfectiones combinari possunt. Nulla enim perfectio perfectioni repugnat, sed limes perfectionis duntaxat alterum excludit. Facit enim bonitas ipsius summa, ut non velit combinationem rerum existere nisi in qua *tantum* perfectionis præsto sit, *quantum potest.* (§. 116.)

§. 132. „*Sed ubi fines per media finitæ virtutis*
Engelhardi Absolutismus. D „*obti-*

„*obtineri debent, non potest omnis in effectibus defectus*
 „*& dissonantia quoque, omnibus in casibus, evitari.*
 Quid igitur voluntas divina, si bona mutuo connexa
 malis commixta, si perfectiones & realitates, mutuo
 dependentes, imperfectionibus distinctas contueatur
 intellectus divinus, quæ nonnisi *Media* quadam vo-
 luntate Deus ex parte velle, ex parte nolle potest?
 (§. 126.) Facit tunc *sapientia* Ejus, ut summam ta-
 men *compossibilem* perfectionem Deus Ipse in opere
 suo, si existat, invenire valeat, ut exceptiones a re-
 gula absolute optimi sint paucissimæ & respective
 optimum non-impedientes nec excludentes, ut, si
 quid mali in eo admittendum, nonnisi ad evitandum
majus malum admittatur. (§. 87.) Si Creaturæ ratio-
 nales Systemati insint, libertate sua abusuræ & mo-
 ralem quoque imperfectionem, quæ libertatis usum
 vel abusum præstruit, illi introducturæ, non appro-
 bat istud malum divina voluntas, ut bona, ullo sensu.
 (§. 120.) neque illud *sapientia*, eidem conjuncta,
 permittit, nisi ejus *absoluta* impeditio itidem majori
 & graviori incommodo inconvenienti, & aliunde
 Systemati intraturo, januam aperiret. (§. 69. & 87.)
 Si dubitas de propositione, pone ejus contrarium, &
 quid inde sequatur? statue. Invenies tunc ipsemet,
 veriora hæc esse, quam primo intuitu videntur. In
 casu igitur collisionis respicit divina sapientia pro-
 portionem majoris & minoris mali, & majus quidem
 absoluta & summa potestate impediendum statuit, mi-
 nus autem isto unico casu permittendum, quem in-
 nuimus. Quodsi ad evitandum majus malum etiam
 morale malum permittere satius & minus inconve-
 niens, (*respectu Dei*) adeoque & minus malum est,
 omnia tamen sic coordinare & subordinare sapientia
 studet, ut maxima compossibilis perfectio totius super-
 sit, ut ne opus perfectissimo Creatore aliqua parte in-
 dignum existat aut Ipsi opprobriosum. Omnibus
 igitur circumstantiis, respectibus, antecedentibus,
 connexis, & consequentibus, etiam in collisione
 specta-

spectatis, voluntas divina refertur ad omnia bona, quæ adhuc *compossibilia* sunt, quæ in uno eodemque Systemate, cæteris omnibus meliore, connecti sic possunt, ut majus bonum a minori bono in eodem non excludatur ullum, neque majus malum, minori excluso, permittatur.

§. 133. Quando igitur Divina *Consequens*, comparatis omnibus, ad *unum*, quod reliquis omnibus præstat, refertur (§. antec.) adeoque determinatur: (§. 29.) utrumque perspicuum est, & ab *objecto* esse determinationem istam, & nonnisi *rationabilem* esse. (§. 67.) Et cum in ipsis objectis, quæ Deus vult, ordo maximus est mediorum atque finium, quo semper unum alterum determinat, (§. 130.) etiam relationes divinæ voluntatis aliæ alias determinant. Quo sensu innocenti? ex supra dictis haud difficulter intelligitur?

§. 134. Consideremus vero *sapientiam* summam quoque cum bonitate *speciali* (§. 115.) conjunctam, & quamnam Voluntas Dei *Eadem* sub hac consideratione relationem habeat ad creaturas, quibus conferri perfectiones possunt? & quid ex *antecedente* Ipsius Voluntate tunc remaneat? Intelligitur vero ex Definitionibus etiam tunc suis creaturis Deum omnes conferre velle perfectiones, quarumcunque sunt capaces & quascunque, *salva sapientia*, ipsis conferre potest. Sed quid sapientia summa respiciat, dictum est. (§. 129. seq.) Scilicet ordinabilitatem omnium convenientissimam, optimam, perfectissimam, Deo dignissimam. Quas igitur perfectiones creaturis in genere Deus, *salva sapientia*, conferre possit & velit, intelligitur. Tot nempe ac tantas creaturis suis confert perfectiones Deus, quot *hic & nunc* capere possunt in *nexu & ordine cum aliis perfectissimo & convenientissimo*. Omnes igitur, omni loco ac tempore perfectiones largitur creaturis, quæcunque, salva convenientissima ac perfectissima possibili rerum combinatione, illis tribui possunt, quæcunque adeo, confi-

deratis omnibus, compossibiles & cum aliis optimum in modum coordinabiles manent.

§. 135. *Activa* quidem capacitas creaturis nulla competere potest. Nulla enim mereri Deum valet, nec Ei quicquam dare, quod ab Ipso non accepisset. Rom. 11, 35. 1. Cor. 4, 7. Sola igitur *passiva* creaturis capacitas remanet. Interim rationalibus tamen creaturis incumbit, ut & ipsæ, quod suum est, faciant & libertate, qua sua natura gaudent, non abutantur, sed tantam, recto ejus usu, perfectionem sequantur, quantum *hic & nunc* viribus, quas habent, præstare possunt. (§. 120.) Abusus autem omnis rei cum detrimento perfectionis conjunctus est, quoniam ab usu rei, seu fine operis, deflectit, adeoque illam perfectionem sufflammat, quam tamen res suis viribus præstare hic & nunc posset. Itaque & libertatis abusus imperfectionem introducit, dum sua electione libere volens non sequitur perfectionem, quam sequi & præferre tamen posset, adeoque etiam *deberet*. (§. 81.) Namque in Deum nulla inde redundat imperfectio, sed in creaturas, quam sentire cum reflexione mentis non possunt, nisi *rationales*, nec majori cum ratione sentire possunt ac *debent*, nisi quæ illam introduxere. Conjunctus est iste sensus imperfectionis reflexus cum earundem infelicitate. Abusu libertatis itaque suæ rationales creaturæ felicitatem impediunt suam. Neque eandem Deus promovere solus tenetur. Harmonia enim & perfectio non esset, si solus Ipse felicitatem creaturarum suarum rationalium procuraret, ipsæ vero creaturæ rationales actionibus suis liberis non ad eundem agerent scopum, sed eum interverterent & obliquarent.

§. 136. Ponamus vero, in Combinatione rerum inter omnes convenientissima comprehendit rationales quoque creaturas, quæ libertate sua ad finem optimum, cum possent, non utuntur. Quomodo versatur divina voluntas infinite bona, sapientia comite summa, circa tale objectum? circa creaturas libere volen-

volentes, sed id volentes, quod imperfectionem combinationi rerum, cui insunt, infert? a) An *absoluta* potestate abusum libertatis, earundem impediendum arbitrabitur, etiamsi ex alio latere major ex ista impeditio imperfectio toti accresceret? etiamsi majus inde malum in totam combinationem rerum redundaret? An libertate ita creaturas racionales privare sua satius judicabit Deus? b) An & beneficia illis ideo plane nulla conferre decernet, ne illis abuti possint? An adeoque & opportunitates & media, quibus felicitatem suam promovere & consequi possent, illa ex ratione denegabit, quoniam illa libertatis perverso usu neglectum iri præsentit? *Neutrum* ego putarem! *Neutrum* sine argumento.

§. 137. Prius illud, nempe libertatis abusum, absoluta potestate impediendum, divina sapientia nec *postulat*, nec *permittit*. Rationales enim creaturæ *naturaliter* libertate gaudent, aut racionales esse desinunt. Etenim si existant, intrinseca vi agendi non destituuntur. Sunt enim substantiæ. Quæ *racionales* autem intellectu quoque carere non possunt. Intellectus autem si ad intrinsecam agendi vim accedat, libertas oriatur necesse est. Plures enim ejusmodi substantia tunc cernit agendi modos, quibus applicare vim suam possit, quam, quia existere supponitur, jam habet (§. 5.) atque adeo agere vel non agere hoc potest aut illud, agere sic & aliter. Quæ ipsa libertatis idea est Omni Enti, quod rationale est, tribuenda. Insignis igitur creaturarum species & cum ea insignis quoque perfectionum multitudo ex ista combinatione rerum exterminanda foret, in qua libertatis abusus *absolute* impediendus judicaretur. Eam vero combinationem rerum nihilominus omnium possibilium optimam judicare Deus non posset. Ut jam, retrogrado ordine ab eo, quod factum est in hoc mundo, non concludamus.

§. 138. Sed nec b) *posterius* esse melius aut convenientius divina bonitas, sapientia comite, arbitra-

bitur, scilicet ut ideo media quoque, ad felicitatem creaturarum facientia, combinationi rerum illi, non inferat Deus, quoniam has & illas iisdem ad hunc finem non esse usuras cognoscit. Quamvis enim finito intellectui datum non sit, perspicere nexum *totius* ejusmodi combinationis rerum, & ex eodem *specialissimas* & *individuales* cujusque rationes allegare: in *totum* tamen ideo impervestigabilis finito intellectui non est rerum compossibile nexus, cui Deus dare existentiam cogitatur; non manet adeo occultum creaturis intelligentibus hujusmodi universum, ut nec *negative* cognoscere possent, cujusmodi illud esse non possit, ad attributa divina si referatur; aut etiam ut nec *positive* multa *generatim* de ejus perfectione & convenientia judicare possent. *Generalis* autem ista universi, a Deo creandi, cognitio jam eo pertingit & sufficit, ut, quid in ordine ad has illasve creaturas in *specie* velle possit divina voluntas, similiter, hoc est, *generalibus* enuntiatis a finitis quoque intelligentibus indicari possit. Generales enim veritates etiam in particulari & de singulis individuis quoque manent veræ. Jam vero *generatim* de nexu rerum, quemcunque Deus existere jubeat, id habemus pro certo cognitum, quod tot bonitatis infinitæ vestigia & specimina continere debeat, quot compossibilia & ordinabilia sunt. Atqui vero *omnia* bonitatis divinæ specimina *positiva*, hoc est, beneficia, *qua talia*, quatenus ut effectus divini - quatenus ut perfectiones *positiva* spectantur, compossibilia sunt & ordinabilia. Perfectio enim perfectioni nulla repugnat, qua talis. Repugnat duntaxat altera alteri perfectionis limitatio, quæ autem à Deo esse non potest, qua talis & *formaliter* considerata. *Ordinabile* vero est etiam, quicquid facit ad Gloriam divinam, ad perfectiones divinas, *directe* ac *positive* patefaciendas. Sed eo pertinent *positivi* divinæ bonitatis effectus & specimina, hoc est, beneficia, quæ faciunt, ut Gloria Dei materialiter cum summa creaturarum utilitate coincidat.

Inexhausto enim bonitatis divinæ Oceano creaturæ innatant omnes, cujus effectus positivos, seu beneficia, non nisi magis vel minus limitant. Rationales creaturæ quidem illa vel contra obligationem limitant, vel obligationi conformiter limitant, libertatis adeoque vel abusu vel recto usu suæ. Limitari autem non possent a creaturis divina beneficia, hæc si non existerent. Igitur si limitari cogitantur, existant necesse est. Ex isto autem perfectionum numero divinæ sunt opportunitates & media, ad felicitatem creaturarum rationalium per sese facientia, si quidem illa ab his vel negligantur, vel pervertantur, hoc est, perverse & contra obligationem limitentur. (§. 135.) Illa igitur si ex convenientissima rerum combinatione exessent, perfectionibus hæc sane destitueretur, quæ combinabiles tamen & ordinabiles in ea fuissent. Unde perfectissima omnium Deoque dignissima rerum combinatio ita non existeret, sed imperfectior quædam & divinis attributis indignior. Quod absit, ut admittamus. Ita enim sibimet ipse Deus & infinitæ bonitati ac sapientiæ non satisfaceret suæ, si tot beneficia non juberet existere, quot reliquo tamen cum rerum nexu combinabilia & ordinabilia essent. Non faceret ita, quod suum est, Deus, ut laudem summe boni & sapientis obtineret atque servaret.

§. 149. Loquor autem de *ipsis beneficiis divinis*, non de *omnibus possibilibus illorum modis*, ne circa assertum hæsites, opinatus fortasse, omnes illud beneficiorum divinorum modos & limites statuere existentes. Id absit a nobis, ut actualibus possibilia absoluto sensu talia, coëxtendamus.

Si dubiam tamen adhuc mentem prima hæc ratio relinquit, cum *ipsorum beneficiorum divinorum talis ac talis Dispensatio*, h. e. *varia limitatio & modificatio subinde novum Dei beneficium evadat in hanc illamve creaturam*: curatius, si ita videtur, dubiosas ideas evolvemus. Cavebimus, putem, ne Deum limitationis causam faciamus. Limitatio enim causam

requirit non *efficientem*, sed *deficientem*. Quicquid Deus agit, positivum est. Limitationes autem nihil sunt positivi. Non igitur a Deo sunt, sed a creaturis. Estne vero dispensatio divinorum beneficiorum etiam talis limitatio? Vere non quatenus est actio *divina*, sed quatenus in *effectu* talis ac talis evadit in termino, in objecto, in creaturis. Non igitur quoad ipsa beneficia, sed quoad eorum limites hos vel illos, qui non sunt, nisi a creaturis, divinæ bonitatis effectus vel magis vel minus limitantibus, obligationi vel conformiter vel difformiter limitantibus, si creaturæ sint rationales. Etiam pietas, e. l. etiam cæteræ virtutes christianæ, *formaliter* consideratæ, sunt limitationes, ut maxime limites prorogent & obligationi conformiter hic & nunc Dei beneficia limitent, tam parum ea limitent, quam ab ipsis expectari hic & nunc potest, nec fini obtinendo obest. Quod contra fit in vitiis. Avarus dives, exempli loco, varia Dei beneficia, quæ possidet, limitat, retinet, abscondit, inutilia sibi & aliis esse jubet, ut multis ideo male sit aliis. Idem de cæteris esto iudicium. *Bene omnibus* esset in ista rerum combinatione, quam Deus existere jubet, & optimo quidem possibili modo bene esset, nisi contra obligationem, libertatis abusu suæ, beneficia Dei limitarent creaturæ rationales. Existant igitur, quæ limitantur, beneficia ipsa necesse est.

§. 140. Verum quid ipsa tot limitationum in uno Systemate, cui existentiam dat Deus, combinatio? Numquid ista est actio DEI, sapienter omnia ordinantis? Numquid autem ita harum illarumve limitationum fit auctor? Numquid limitationum talis ac talis ordinatio his vel illis creaturis rationalibus beneficia denegat, quæ in alia rerum combinatione, in alia limitationum creaturarum ordinatione, potuissent habere? Numquid ipsa sic ordinatio limitum creaturarum hæc illa beneficia Dei excludit? Numquid Tyrus & Sidon olim respuisset, si quidem miracula, quæ apud Capernaitas postmodum patravit Dominus, istorum tempore & præsentia

sentia facta fuissent? *Matth. II, 22.* Numquid igitur, ex ipsa combinationis & ordinationis rerum ratione, beneficia divina satis efficacia saltem media ad felicitatem creaturarum promovendam esse desinunt?

§. 141. Scilicet a) omnino invigilat divina providentia creaturarum actionibus, ut, quantum penes ipsum est, in optimos easdem fines dirigat. Sed actiones creaturarum non sunt meri defectus, non sunt meræ limitationes, nisi *formaliter* consideratæ. Quod illis positivi inest & quod adeoque limitant, ejus Auctor non potest non esse Deus: ipsorum *limitum* non item. Hi enim realitas nulla sunt, sed ejus terminus. Sunt id, quod ibi cogitari debet, ubi nihil amplius positivi adest, ubi realitas subsistit atque desinit, neque ulterius progreditur. Sapientissima limitum ordinatio non est ipsa limitatio, sed in *effectu* ac *termino* demum talis ac talis evadit. Semper itaque limitatio est ex objecto ac termino actionis divinæ, hoc est, ex creaturis.

§. 142. Tum vero b) divina providentia quoque cavet, ne forte in ea, quam existere vult, rerum combinatione limitationes sint nimix, neque optimum compossibile impediunt, nec bonum majus, quod patefacere divinas perfectiones potest, excludant, nec perfectiones positivas multitudine vel valore superent. Sed ideo ista cura non ipsa Dei beneficia, quæ limitantur a creaturis, eliminat, sed modum & gradum & mensuram hanc illamve cæteris non compossibilem duntaxat exesse jubet, qua posita vel admissa major aliunde in totam combinationem imperfectio redundatura esset. Sapienter itaque beneficiorum suorum usum & abusum, in creaturis rationalibus liberum, gubernat, moderatur, ordinat. Sapiens hæc ordinatio gradum, mensuram, tempus, locum respicit convenientiora, non ipsa beneficia, non ipsas opportunitates & media, qua talia, ad promovendam felicitatem creaturarum sufficientia, excludit. Intellige tamen mediorum sufficientiam ad

possibilitatem effectus, non ad ipsum *effectum*, actu præstitum. Etiam Tyriis ita non ipsa resipiscendi oportunitas sufficiens denegata fuit, sed solus sublimior gradus, quo *per miracula* ex spiritali somno fortius excitari potuissent, si cætera fuissent paria, si modus iste extantior ob alias graviores Systematis rationes, sapienter potuisset concedi. Has specialissime ac determinate non valemus indicare. Sed nec tenemur. Novimus tamen id *a priori*, quod summa bonitas Tyriis extraordinarium quoque hunc opportunitatis resipiscendi modum non denegatura fuisset, si reliquus ordo rerum id permisisset & sapientia Ipsius adeoque summa convenientius id duxisset. Conjecturis igitur indulgere necesse non est.

§. 143. Interim de *Efficacia* beneficiorum divinatorum, adeoque & opportunitatum & mediorum, ad promovendam felicitatem creaturarum facientium, dubitari non potest, si efficaciam *actus primus* intelligatur. Hoc enim actu efficaciam primo si beneficia divina destituerentur, *beneficia amplius non essent*; adeoque nec opportunitates & media felicitatis creaturarum amplius essent, quod esse tamen deberent. Non facerent enim ad finem, ut obtineri *possit*. Atque id ita Benefactoris, Dei, culpa quoque, non creaturarum, libertate sua abutentium & *actus efficaciam secundos* contra obligationem limitantium, sola. Non intenderet omne bonum, quod, salvis cæteris, obtineri tamen posset. Non ederet tot infinita Bonitas Dei specimina, quot coexistere tamen possent. (§. 138.) Facile infra ex hoc *genere ad speciem*, ad universalitatem mediarum gratiam, concludemus.

§. 144. Perpendi quoque pervelim, quod ex *scientia media* Deus nulli creaturarum rationalium quicquam vel det vel auferat. Scientiam Dei media obversantur ordines possibilium, qua connexorum, sed nunquam existitorum. Igitur eidem obversatur & quicquid sub hac vel illa conditione, possibili quidem, sed *non futura*, futurum esset. Semper autem
& in

& in omni casu, quia conditio non existeret, *sine ratione* vel daret vel auferret. Sine ratione sufficienti autem Deus nihil vult agitque. (§. 107.) Igitur ex scientia media nulli creaturarum beneficia sua denegat Deus. Denegaret autem ex *media* hac scientia opportunitates & media, creaturis rationalibus ad promovendam felicitatem ipsarum inservientia, si ideo his illa denegaret, quia neglectum & abusum eorundem non tam prævideret, quam *præsumeret*. Sed ex abusu libertatis *præsumto* (intellige *personalem, immediatum* & in propria persona admissum abusum) nemo cum ratione beneficiis excluditur, quorum cætera capax & indigus esset. Nemo enim rationalis *cum ratione* præsumi potest ad suam *infelicitatem*, multo minus ad suam *infelicitatem perpetuam*, sua libertate abuti. In suam felicitatem dissentire & contra potius in infelicitatem suam consentire rationales creaturæ præsumi non possunt, nisi temere & sine ratione sufficienti. Consensus & dissensus præsumti igitur hac parte dissimillima ratio est. In *favorabilibus* præsumtio *propriæ & personalis* consensus locum habet: in *odiosis* non item. Opportunitates igitur & media, ad felicitatem facientia, ex præsumto eorum neglectu & abusu, creaturis rationalibus non subtrahit Deus. Exsistunt itaque nihilominus in ea rerum combinatione, quam Deus vult exsistere, quantumvis, abusu libertatis, creaturarum rationalium aliqua ista ad finem adhibere detrectent. Id jam dictum in Fide Inf. (§. 95.)

§. 145. Si nondum ista sufficiant, bene fundatam adde Theologorum responsum, qua aliter impœnitentes & pereuntes fore *excusabiles* pronuntiant. Etenim quæ culpa potest esse creaturarum rationalium libertate sua abutentium & contra finem atque obligationi suæ difformiter sese determinantium, quibus media tamen & opportunitates denegantur, queis uti ad finem, ad suam felicitatem consequendam, potuissent? Qui fieri potest, ut eo abutantur creaturæ,
quod

quod ipsis tamen non datum fuit unquam? In Deum ita potius culpa infelicitatis creaturarum recideret. Finem nolle Deus videri posset in ea rerum combinatione, in qua media ad finem denegaret, aliunde non suppetitura. (§. 122.) *Ille non vult serio, qui, non impeditus, non facit tamen.*

§. 146. Verum enim vero *fortassis ipse Deus creaturas suas rationales, AD BONVM certe, vult determinare ac prædeterminare?* Cave autem & hoc putes! a) Determinare vim ad agendum est facere, ut versus hoc præcise objectum tendat, non aliud, hac actionis contentione, non alia, non majori, non minori. (§. 15.) Si rationales igitur creaturas determinaret aut prædeterminaret Deus, ipsam agendi vim earundem limitaret, ipsos earundem limites ita variaret Deus, novosque illis defectus adderet. (§. 139.) Quæ maxime injuria esset in Deum cogitatio. Deus enim est auctor rerum, non vero defectuum in rebus. Itaque nec limitum, nec limitationum, qua talium, quatenus aliquid privati referunt. Neque etiam b) amplius ita a suis creaturis differret Deus, si & vires earum determinaret. Quid enim ita creaturis remaneret actionis? Omnino nihil! Iterum c) & nulla ratio esset, cur non omne malum morale impedire vellet Deus, cur non omnes creaturas ad bonum determinaret, si tamen ipsemet creaturas suas rationales *ad hoc illudve bonum, formaliter prædeterminaret* Deus, si determinaret eas, antequam se ipsæ determinarent. Ita enim ageret solus omnino, & patiente creaturæ obtemperarent, Deique hanc actionem & præmotionem sequi deberent omnes. (Conf. S. V. Canzii *Philos. Fundam. in Theol. Nat. Sect. 1. P. 2. c. 3. §. 1388. seqq. & Theol. Nat. Polem. Ejusd. S. 2. c. 3. de Providentia §. 148. p. 557. seqq. It. T. 2. Usus Phil. in Theol. P. 1. c. 2. §. 96. seqq.*)

§. 147. Quodsi igitur in *Consequenti Dei Voluntate* supersunt omnes opportunitates & media, ad promovendam creaturarum felicitatem per sese facientia,

&

& *actu primo efficacia*, sive a rationalibus creaturis eo sine adhibeantur, sive negligantur & pervertantur: (§. 138. seqq.) sine dubio supersunt illa ex voluntate Ipsius *antecedenti*, omnia omnibus creaturis beneficia largiri parata, quorumcunque sunt passive capaces. (§. 121. &c.)

§. 148. Si porro in Voluntate Dei *Consequente* superest *respective optima* rerum combinatio, cui existentiam vult largiri, h. e. in qua beneficia Dei tolerabilissima omnium ratione a creaturis limitantur & tantum realitatis, existentiam, bonitatem, potentiam atque sapientiam Dei patefacientis ac demonstrantis, superat, quantum in alia rerum combinatione *nulla* superfuisset; aliter *illi hanc* Deus prætulisset: (§. 131, seq.) tum maximum adhuc inter possibles effectum habet *Antecedens* Dei voluntas in *Consequenti*. Numquid igitur & *seria* & *efficax* simul esse cognoscitur Antecedens Dei Voluntas, quæ maximum adhuc producit, quod fieri potest & convenit?

§. 149. Divina cum sapientia infinita Voluntatis bonitas (utroque sensu §. 115. & 116.) non pugnat, neque cum bonitate Voluntatis infinita sapientia. Pugna omnis a limitibus est. Non igitur nisi in *objecto* & *termino* utriusque quærenda & invenienda. Infinita bonitas sigillatim omnia bona possible vult, sed *proportionate*, pro gradu bonitatis unumquodque suæ. Sed eorum combinabilitates non tollit, neque combinationes a sua approbatione excludit, prærogativam alterius præ altero & optimi eligibilitatem relinquit salvam. *Altero* sensu perfectiones & beneficia conferre parata est Bonitas, quæcunque capere possunt creaturæ. Plura igitur capacioribus confert. *Capacitatem* itaque non facit, sed *presupponit*. Sed ad utrumque & *sapientia* respicit, quando, comparatis omnibus, optimum suadet & omnem beneficiorum collationem, cui nullum impedimentum creaturæ, physicum vel morale, obstat. Si quid impedimenti obstare universali beneficiorum collationi animadvertit:

tit: tot tamen adhuc confert, quot conferre nil amplius impedit, scil. compossibilia omnia beneficia. Si limitator itaque *effectus* existit, non id divinæ bonitati, sed rationibus Deo extrinsecis, debetur. Voluntas igitur antecedens cum consequenti non pugnat. Neque consequens antecedenti adversatur.

CAPVT III.

De Decreto Dei in genere.

§. 150.

Iuvabit ex generalibus, hucusque adstructis, transferre quædam ad distinctam Decreti Divini in genere considerationem, ut de eo quid firmiter tenendum sit, plane intelligatur. Habet & generalis hæc consideratio hunc quoque usum, ut eo distinctius & planius deinceps de *Absolute Dissidentium Decreto* statui queat.

§. 151. *Decretum in genere* est actus voluntatis, quo aliquid per vires possibile vult esse futurum: vel est determinatio voluntatis ad existentiam possibili dandam. Sed cum divinæ voluntatis non sit nisi unicus actus idemque simplicissimus; (§. 105.) cum porro etiam omnia possible absolute talia non sint ideo quoque *compossibilia*; neque enim Fabulæ Romanenses existere possunt omnes: intelligi putem *Decretum Divinum* esse actum voluntatis divinæ, quo existentiam bonis compossibilibus vult dare. Si vero Decretum Divinum definire malis per *determinationem* voluntatis divinæ ad existentiam bonis compossibilibus dandam: cautelæ memento (§. 28.) indicatæ. Si Definitionem invertas, intelligitur, compossibilia igitur esse ista omnia bona, quibus existentiam decernit Deus. Si observationem *a posteriori* addas huic Axiomati, consequetur, etiam *hæc* bona in *hoc*

mundo, queis existentiam dedit Deus, licet ex *culpa creaturarum* malis, & moralibus quoque malis, intermixta sint, compossibilia tamen esse & optimo Creatore non indigna. Si enim sapientiam decernenti summam adjungas, non decrevisse illum existimabis id rerum Systema, quod pejus, quod imperfectius, quod fini minus conveniens est, quod divinas perfectiones non maxime patefaceret, cum aliud melius, & attributis suis dignius & fini convenientius eadem opera decernere potuisset. (§. 132.) Excusandum igitur judicabis *Deum*, systema rerum decernentem, cui multiplex malum adhæret, quacunque fieri potest Deo dignissima ratione & explicatione. Laudabilis est iste conatus & fini creationis conveniens. Quid enim laudis inde in Creatorem redundaret, si circa solas imperfectiones operis hære, & queri de illis satagerent creaturæ ipsius rationales, quo tamen Ipse infinitas perfectiones suas patefacere, patefacere autem intelligentibus, constituit?

§. 152. Cum Decretum sit actus voluntatis divinæ (§. antec.) profecto, quæ de Voluntate Dei in genere vera esse superiori capite cognovimus, eadem valide etiam de Decreto Divino enuntiamus.

§. 153. Ita quicquid vult Deus, unico actu vult. (§. 103. 105.) Idem itaque de ejus Decreto habendum. Scilicet *simul* quæque & *unico* actu decernit omnibus, quæ compossibilia & ordinabilia cognovit, existentiam dare. Non credimus Deum mutabilem, hæc *hodie* decernentem, *cras* alia plura. Finiti hoc intellectus est, non infiniti, cui omnis consiliorum successio repugnat. Quid inde?

§. 154. Primo quidem temere *plura* in Deo Decreta finguntur. Frustranea est etiam & præter rhombum & injuria quoque in Deum & fundamento omnium destituta omnis in subordinatione Decretorum Divinorum ab aliis posita cura. Cavebimus igitur nobis in futurum ab hoc conceptaculo tricarum & liticularum inanum. In uno eodemque Dei Decreto non
nisi

nisi *diversas relationes cogitabimus & nominabimus* quoque, quas unicum illud Decretum Dei habet ad objecta, quibus existentiam donare vult Deus, diversa. Diversitas objectorum diversas quoque relationes unius ejusdemque Decreti Divini determinat. Quot diversæ res sunt, tot sunt diversæ unius ejusdemque Decreti Divini relationes. Ordo itaque objectorum, quibus divina voluntas vult existentiam largiri, ordinem quoque relationum unius Decreti Divini determinat. Videlicet, quicumque ordo est in objectis divinæ voluntatis, idem ordo est in relationibus, queis unicum Dei Decretum ad illa objecta refertur. Et quod in objectis adeo prius est, id etiam in unico Dei Decreto priorem relationem habeat necesse est. Decretum quippe in re decreta nil mutat, sed illam decernit, uti est.

§. 155. Finis autem & media objectivum ordinem hunc habent, ut media faciant ad finem obtinendum, ut media adeoque præcedant, & finis consequatur. Neque fieri potest, ut, vice versa, finem media consequantur. Sic enim media non essent media. Et finis absque mediis antecedentibus obtineretur. Media finem consequentia non facerent ad finem obtinendum, sed demum sequerentur obtentum. Quod est absurdum & contra hypothesein quoque, quæ media supponit esse *ad finem media*. Igitur media quoque in unico Dei Decreto *priorem* habeant relationem necesse est, quam finis quidem habere potest, seu, quod tantundem est, unicum Dei Decretum (*logice*) prius respicit ad media, quam ad finem. Ut istud non repetam (*supra inculcatum*) quod finis operis cujuslibet rei, respective optimus, cum ipso fine operantis Dei coincidat, (§. 95. seq.) adeoque & ille hoc prior sit *formaliter & objective*.

NOTA. Magni hanc propositionem usus esse, etiam infra Cap. 4. cognoscemus, ubi fidem & ejus prævisionem in divino Decreto Electionem antecedere, ostendendum erit. Namque

que fidem esse medium ad salutem, & quidem unicum, lapso homini relictum, & alibi docui (in Fide Infantum §. 45.) & infra argumento ostendam.

§. 156. Sed & illud exinde consequitur, quod divinum Decretum cogitari non possit ad partem duntaxat rerum, existentia donandarum, relatum. Ejusmodi enim cogitatio successionem *in Deo* inferret, si per partes intelligere aut velle Deus cogitaretur. Per partes autem intelligeret vel certe vellet Deus, si *primitivo* quodam consilio ab æterno creaturas, optima ratione creandas, statuisset, & futuro lapsu earum incensum, in Ipsius Consilio, non veniente, de medicina demum, secundario quodam consilio, cogitasset. Per partes etiam & successive intelligeret Deus & vellet, si res extra nexum cum aliis *omnibus* decerneret, si prius de fine, tum de mediis decerneret, si prius de remuneratione & pœna, tum demum de permittendis meritis vel demeritis creaturarum decerneret. Præsentia Deo sunt omnia: nihil præteritum, futurum nihil, uti creaturis. Omnem igitur ordinem rerum, *quoad omnes status*, uno obtutu perspicit, omnem cujuslibet rei finem operis intelligit, & convenientissimum, hoc est, inter omnes possibiles optimum ejus usum & respectu sui, optimum ordinem, & cum eodem finem & media simul, quantumvis salva relatione antecedentium & consequentium objectiva, decernit. (Conf. S. V. Canzii Theol. Nat. Sect. 1. c. 9. §. 85. p. 252. seqq.)

§. 157. Quando igitur, uti in generali voluntatis divinæ consideratione (§. 114. seq.) ita & in uno eodemque Dei Decreto Voluntas *Antecedens a Consequente* distinguitur, nonnisi *formalis* utriusque differentia locum habere potest, non *materialis*, non *realis*, multo minus ex pugna posterioris cum priori repetenda. Voluntas enim *Antecedens* est velut mater *Consequentis*. Non vellet Deus in *Consequente* ac *Decretoria* Voluntate, comparatis omnibus, plurima &

maxima bona, nisi omnia & singula antecedente voluntate approbaret.

§. 158. Non opus est, ut hoc loco omnes Decreti divini affectiones percurram. Ita e. gr. æternum & immutabile etiam est Dei Decretum, „*ut ipse Deus* „*& propugnaculum habet perfectissimam Dei naturam,* „*quæ omnem mutationem & imperfectiorem agendi rationem, tanquam natura perfectissima indignam, respuit* „*& liberum tamen simul manet divinum Decretum.*“ Neque enim ad attributa Dei necessaria, neque ad necessariam Ejus existentiam ejusque actus immanentes, itidem necesarios, pertinet. Atque oppositum ejus Deo non repugnat *absolute*. Est igitur in Deo per modum accidentis, sed *eminentis*. Oppositum enim Decreti Divini, ob perfectissimam Dei naturam nunquam erit & extra Deum non habet sui rationem. (Conf. S. V. Canzius in Theol. Nat. S. 2. C. 1. §. 127.)

§. 159. Illud hujus loci est, ut etiam *objective* Decretum Divinum consideremus, hoc est, cujus modi sit, ad hæc vel illa objecta si referatur? Etenim diversam inde relationem & illud obtinet, si diversa sint objecta, salva actus unicitate, *subjective & in Deo* spectati. Vidimus autem antecedenti capite, quid velle possit Deus *in genere*, libere quidem & ex pluribus possibilibus & a nemine coactus necessitatusve, certo tamen & infallibiliter, & ob naturam perfectissimam, immutabiliter? (Conf. §. 59.) Abnegare enim seipsum nec vult, nec potest. 2. Tim. 2, 13. Exinde vero etiam, cujusmodi sit illud objectum, quod discernit, cujusmodi sit illa combinatio rerum, cui existentiam largiri constituit, in totum & in tantum, secundum omnes & singulas partes, status, nexus & respectus, *generatim* cognoscitur, partim *negative*, partim *positive*.

§. 160. Etenim in genere nihil vult Deus sine ratione a priori, præpollente, sufficienti ac determinata. (§. 107.) Decretum est voluntatis actus. Igitur

tur nec quicquam decernit Deus sine ratione a priori, & præpollente & sufficienti & determinata. Et *objectiva* quoque sit illa ratio decernendi oportet. Nihil enim velle Deus potest, ut conditionem objecti antecedenter non respiciat. (§. 108. & 110.) Ipsius itaque Decretum rationes objectivas, ab intellectu repræsentatas & oblatas, tanquam motiva sequitur, non antecedit. Est vero Decretum istiusmodi ex Definitione *conditionatum*, voluntatis conditionatæ nimirum actus. (§. 110.) Unde Divinum quoque Decretum est *Conditionatum*. *Conditionatum Absoluto* opponitur. Divinum igitur Decretum non est *absolutum*.

§. 161. *Absolutum in genere* dicitur, quod omni rei hujus vel illius classis, omni loco, omni tempore, omni respectu, adeoque sine omni determinatione externa, consideratæ, competit. Determinatio rei externa est *conditio*. Inde *Absolutum Conditionato* opponitur. *Conditionatum* est, quod sub certa solum conditione esse vel fieri potest. *Absolutum* vero omni conditione solutum est. *Absolutum* esse vel fieri vel rei competere potest sine omni conditione. Constat igitur, quo sensu *absolutum* Dei Decretum docere possint Dissidentes, quando id *Conditionato* opponere solent. *Conditionatum* est quippe Decretum, quod certam in objecto conditionem respicit, præsupponit ac sequitur. Ab illa igitur Dei Decretum Reformati liberum ac solutum præstare ac tueri conantur.

§. 162. Quum vero *Conditio* varie iterum possit considerari (§. 76.) nondum satis tuto generalis hæc Definitio, sine explicatione & limitatione illius conditionis adhiberi potest, si omnis ambiguitas & Logomachia debeat caveri. Meminerimus igitur ex supra dictis, quotuplici sensu *conditio* veniat? & quemnam ex absoluto Decreto Reformati exclusum velint? Utrum antecedentem? an concomitantem? an consequentem? an omnino omnem?

§. 163. Manifesto etiamnum ambiguitatem fovent, si veritatem non de industria obnubilare nitun-

tur, qui absolutum id dicunt esse, quod *a*) a nulla conditione *b*) pendet; cum Cl. Stapfero in *Instit. Theol. Polem. T. 1. C. 3. Sect. 17. §. 1206.* Neque enim *a*) id volunt in universoni intelligi, ut omnis omnino conditio excludatur. Quando enim de absoluto Dei Decreto ipsis est statuendum, *absoluto & universonali sensu absolutum* vocari nolunt, sed *respectivo solum & restricto*, quo scilicet nihil EXTRA DEUM fuisse putant, a quo *Ejus Decretum, tanquam a conditione* (externa scilicet) *pendere potuerit.* V. Stapfer 1. c. in nota. At quis non videt, *independentiæ physicae* hanc esse *Definitionem*, non vero *absoluti.* (§. 161.)

§. 164. *b*) Tum vero palpabile est, quanta post phrasin (*a conditione pendere*) ambiguitas lateat? Pendere ab altero est rationem sui in altero habere. Jam vero id varie fieri posse, ut aliquid rationem in altero habeat suam, ex §. 92. seqq. satis apparet. Determinatius igitur loqui ac definire deberent Reformati, si Logomachias & vitilitigationes devitari velent inanes. Non enim nisi *rationabilis dependentia*, qua voluntas in exercitio rationem objecti cognitam potius sequitur, quam nullam, a nostris urgetur & locum habere potest ac debet ex rei veritate. (§. 97.) Quis vero unquam dixit, *physice* Deum ab ulla re extra se in suo Decreto dependere? Insanis hæc tribuantur licet.

§. 165. Si omnium absoluti Decreti Divini Patronorum Definitiones cum explicationibus additis conferamus & ponderemus, in eo convenire deprehendentur omnes, ut Deum teneri negent, ut in suo Decreto futuram aliquam contingentem in objectis conditionem antecedenter respiciat, eamque tanquam rationem a priori in discernendo sequatur. Concludi hoc potest ex *specie.* Negant enim expresse omnes, intuitu fidei Electionem, aut incredulitatis ob causam Reprobationem quorundam fieri. Non abnuunt quidem, fidem esse conditionem Electorum: Sed intelligunt *consequentem.* Electionem vero & Reprobationem

nem fieri antecedenter ad fidem & incredulitatem, communiter docent. *Antecedentem* igitur conditionem ex Divino Decreto exesse volunt. Nihil autem Deum velle nec decernere posse, nisi ad hanc *antecedentem* objecti conditionem respiciat, facile ex Superioribus intelligas. (§. 107. seqq.) Et sicut hoc de *omni* objecto voluntatis divinæ valet, ita & in *specie* de creaturis rationalibus id verum manere intelligitur. Habent autem hæ usum & abusum libertatis in sua potestate. Nihil itaque circa rationales & liberas quoque creaturas Deus decernit, nisi & determinationem libertatis ipsarum, h. e. usum vel abusum libertatis, tanquam conditionem antecedentem, tanquam rationem volendi decreto priorem, respiciat. (§. 111.) Non enim, nisi comparatis & computatis omnibus, adeoque & his liberis determinationibus, decernit Deus. (§. 153.)

§. 166. Quemadmodum vero eundem *unicum* divinæ voluntatis actum *diverse* ad *diversa* objecta referri docuimus: (§. 120.) ita idem quoque de Dei Decreto unico affirmari potest, absque ulla successione & indignitate, in Deum exinde redundatura. *Potest*: adeoque debet. Omnem enim cultum Deo, quem præstare possumus, debemus. Idem igitur unicum Dei Decretum aliter ad hæc, aliter ad ista objecta refertur. Diversæ autem hæ relationes diversam quoque *formalitatem* postulant.

§. 167. Quicquid velle Deus potest Voluntate *Consequente*, id potest etiam decernere. Decretum enim divinum (§. 151.) cum illa coincidit. (§. 131.) Sed ob id ipsum decernere quoque non potest, quod velle non potest consequenti voluntate. Unde si æqualia esse objecta supponantur, ex illis ob rationis præpollentis defectum, decerneret nullum. (§. 109.)

§. 168. Iterum si combinatio rerum Ei observari ponatur, quæ, si existeret divinas perfectiones maxime per omnes partes & respectus patefaceret, neque ullo malo morali commaculata esset: tum ille dubio

procul, ut fini & attributis suis dignissimam eandem decerneret. (§. 131.) Sed istiusmodi rerum combinationem Deo fuisse obversatam, nemo dixerit, nec demonstraverit. Non quasi *absolute* impossibilis habenda esset istiusmodi rerum combinatio. Revera enim possibile est, ut creaturæ rationales non peccent. Vires enim & media & motiva eis non denegare vult Deus. (§. 134.) Et, si non peccassent, melior sane mundus exstitisset. Sed Deus tamen non prævidit, creaturas rationales non peccaturas in ea rerum combinatione, in qua Deus cætera, omnibus comparatis & computatis, perfectiones suas perfectius & convenientius manifestare potuisset. Aliter istam sine dubio huic præsentī prætulisset. (§. 131.) Neque enim ad existentiam eidem donandam Deo voluntas, omne bonum, & majus bonum præ minori approbans, neque etiam ad executionem potentia defuisset. Unde, si, quod factum est, jungas, & cuinam rerum compossibilium combinationi existentiam decreverit, a *posteriori* consideres, utrumque tuto concludas: a) & nullum ejusmodi rerum Systema Deo fuisse obversatum, in quo suas perfectiones, absque mali moralis admissione, maximo & perfectissimo quoque gradu & respectu patefacere potuisset: & b) *hanc* rerum combinationem, quam existere jussit, maximæ isti & *perfectissima omnium* (respective adeoque possibili) perfectionum divinarum patefactioni, malo licet admissio, relinquere locum, atque *ex ea ratione* (non autem respectu mali creaturarum, libertate sua abutentium, culpa introducti) divinis attributis non fuisse indignum. (§. 151.)

§. 169. In ipso igitur Decreto divino voluntatem Dei *Consequentem* ab *antecedente* distinguas & hanc ex illa concludas. Decernit enim Deus consideratis omnibus. (§. 151.) Decretum itaque Ipsius cum Voluntate *Consequenti* coincidit. (§. 131.) Quodsi vero perfectissimum inter omnes possibile rerum Systema & in eo plurima & maxima compossibilia bona De-
creto

creto suo existere jubet, (§. 151.) profecto etiam, antecedenter ad Decretum, bona omnia in sese amaverit & approbaverit necesse est, pro gradu bonitatis unumquodque suæ. Ita autem voluntatem Dei Antecedentem generalem definiri constat ex §. 117.

§. 170. Sed non repetam applicate superiora omnia. Sic enim ex. gr. in casu collisionis perfectionum & imperfectionum (modo his istæ prævaleant) etiamsi has libertatis abusu inferant Universo creaturæ rationales, tamen ideo Sapientia Deo non suadet, ut, ob istum libertatis abusum, opportunitates & media quoque ex tota combinatione exsint, quibus felicitatem illæ suam perpetuam eandemque maximam consequi possent. (§. 138.) Ideoque nec decrevit Deus istiusmodi combinationem rerum, ex qua emanent opportunitates, ad felicitatem creaturarum rationalium facientes, etiamsi hæc sua libertate abutantur.

§. 171. Expressius adhuc illud hoc loco excutere animus est, quid decernere possit, aut non possit, velit aut nolit Deus, in combinatione rerum, quæ respective omnium convenientissima est, a) circa rationales & liberas creaturas *in genere*? & quid b) circa easdem decernat, si sua libertate abutantur *in specie*?

a) Primo quidem Decreto suo creaturas rationales liberas *formaliter* non ad bonum determinat, neque prædeterminat Deus. (§. 146.) Etenim *in genere* id velle non potest, ut liberas ipsemet creaturarum rationalium actiones determinet. (§. 146.) Ergo nec *in specie ad hoc illudve* bonum, multo minus ad malum determinare potest creaturas rationales. Coincideret enim ea determinatione divina actio cum actionibus creaturarum rationalium *formaliter* quoque, ut actiones creaturarum ab actione divina amplius distingui non possent. (§. 146.) Posterius autem infinitæ Ejus bonitati & sanctitati insuper repugnaret, quam abnegare moraliter nescit. (§. 84.) Vires a Deo sunt: determinatio virium est ab ipsis creaturis. Si liberas autem creaturarum rationalium actiones di-

verfas Decreto non determinat Deus, tum easdem, ut tales, relinquit ac decernit & meliorem in modum ordinat finique ultimo subordinat, ut perfectiori, quidabilis est, modo perfectiones divinas patefaciant & *directe* respectu bonorum positivorum, quæ actiones creaturarum rationalium liberæ aliter aliterque determinant, & *indirecte*, respectu ipsius liberæ determinationis, non qua talis, sed qua *sapienter ordinata* & aliis ita coordinatæ, ut maximæ (respective) possibili Totius Combinationis non obsit perfectioni. (§. 132.)

§. 172. Libertas creaturarum rationalium est earundem facultas, qua sese inter plura objecta possibilis vel eligibilia determinare possunt ad *unum*, quod præ cæteris placet. Prævidet autem omniscius & infinitus Dei intellectus omnes omnino rerum possibles determinationes & relationes, adeoque & rationalium creaturarum liberas voluntatis determinationes & earundem ad alias res in Systemate relationes. Contingentes autem sunt istæ determinationes & relationes, quia liberæ sunt. Possunt enim liberæ creaturæ sic se atque aliter determinare, licet *naturaliter* se non determinent, nisi ad unum, quod magis placet, (§. 70.) & Decreto divino non immutantur, sed præsupponuntur. (§. 165.) Deus igitur, Decreto suo easdem, *ut tales*, (sc. ut liberas & contingentes) ita prævisas, decernit atque *ut tales* quoque ordinat & reliquis coordinat. (§. 171.) Sed ob ipsum quoque illas Decreto suo non necessitat. Præscientia enim determinato objecto non infert determinationem, quam non jam haberet in sese & antecedenter consideratum. Præscientia igitur contingentes objecti determinationes non facit necessarias, sed immutatas relinquit.

§. 173. Quum tamen cætera omnia iisdem in mundo, quem creat, uti & actiones istiusmodi liberas & contingentes cæteris omnibus attemperet, atque omnia convenienter ita ac sapienter ordinet, ut

ratio=

rationem & singulorum & omnium habeat: ex Def. (§. 95. seq.) intelligitur, Deum in discernendo & *logice* & *rationabiliter* ab iisdem dependere. Indignum igitur Deo & Ejus Majestate non est, si quoad intellectum *logice* & quoad voluntatem *rationabiliter* etiam a contingenti determinatione creaturarum liberarum prævifa dependere dicatur. (§. 125.) Si tamen dubitas & injuriæ quid in Deum subesse putas, contrarium pone tantisper verum esse, & Deum concludes quidlibet ex quolibet facere posse: Concludes, Deum ex impossibilibus possible, ex bonis mala, & ex malis bona facere posse: Concludes, Deum salvare impœnitentem . . & æternum damnare pium posse. Id, quod omnia veritatis principia luxaret.

§. 174. Quid autem Deus, si rationalium creaturarum nonnullæ sua libertate *abusuræ* prævideantur? Dictum est supra, quo casu Deus *permissionem* hujusmodi abusus, consideratis omnibus, adeoque *consequenti* voluntate, velle possit? (§. 132.) *Eodem unico* igitur casu quoque *permissionem* istiusmodi abusus libertatis discernere potest præ absoluta & violenta illius impeditio.

§. 175. Sed vero, ais, non admittenda sunt mala, ut inde eveniant bona. Malum vero multiplex permisso isto libertatis abusu in mundum intravit. Quid non diabolorum malitia? & hominum peccatorum perversitas quousque progreditur? Sed *Deum* *Ejusque permissionem* hoc casu excusamus, non creaturas, libertate sua, quod contraferi oportebat & poterat, abutentes. Minus malum, majori malo, in *collisione* prælatum, rationem boni induit, non *quatenus* est malum, sed qua est *minus* malum. Minoris igitur mali, consideratis omnibus ita deprehensi & cogniti, *permissio* non repugnat bono & sapienti. (§. 132.) *Eam* igitur discernere Deus quoque potest. Neque malum ista *permissione* admittit formaliter. *Permissio* enim minoris mali respectum boni nanciscitur, cum potuisset *majus* malum, absolute loquendo, per-

mittere, cum nullum Deo Systema obversatum fuerit, ex quo, salva perfectione maxima & plurima, omne malum abfuturum prævidisset. Aliter huic illud quidem prætulisset. (§. 148.)

§. 176. Sequitur autem libertatis abusum infelicitas creaturarum, illa abutentium, præsertim in combinatione rerum sapienter ordinarum. (§. 135.) Quid igitur Deus in ordine ad hanc quoque tristem sequelam decernet? & quid in ordine ad creaturas felicitatem ita suam impediens? Vel, si mavis, quamnam Dei Decretum relationem habebit ad hoc utrumque objectum? Primo quidem, si medicinam simul novit, quæ omni huic malo mederi & simul omnes, libertate abutentes, *in integrum* restituere potest, ut felicitatis maximæ, pro capacitate passiva possibilis, sint iterum, uti ante, capaces: profecto Deus, ut ea medicina, ut opportunitas ista, tanquam insigne bonitatis (specialis) specimen ex illa combinatione exsit, velle non potest. (§. 134.) præsertim cum eam perfectioni combinationis reliquarum rerum maximæ, summa quoque sapientia salva, ordinabilem deprehendat. (§. 138.) Vult igitur Deus medicinam hujusmodi etiam *consequenti* voluntate, cum ipso Decreto coincidente. Hoc est: Deus etiam decernit existentiam illius remedii, quod malo, libertatis creaturarum rationalium abusu, introducto, *utroque respectu*, mederi valet. Quid inde consequatur, infra Cap. 5. applicate videbimus.

§. 177. Quid vero si & hoc remedium non omnibus gratum & acceptum fore, sed (novo libertatis abusu) a multis negligi & contemni prævideat Deus? Reducitur & hic casus ad priorem. Neque tunc quoque *consequenti* voluntate, priorem ob rationem, ex perfectiori reliqua rerum combinatione ut illud exsit, velle potest Deus. (§. 138. seqq.) Igitur nec *Decreto* eam suo ex illa excludit. Nihilominus enim Ipse ut laudem summe boni ac sapientis tueatur, providet. (§. 138.) Non tuiturus vero esset illam laudem, si
reme-

remedium mali, quod & simul medium creaturis rationalibus esse potest, felicitatem peccato amissam recuperandi, ob prævisum quoque illius non-usum seu neglectum, ob prævisum adeoque *novum* libertatis abusum, denegaret & ejus Non-existentiam potius decerneret. (§. 138.) Denegaret autem opportunitates & media, ad felicitatem perveniendi seu eam recuperandi, & eorum Non-existentiam decerneret, si quidem illa in ordine ad *solos eos* talia essent, qui rite *iisdem* utuntur & felicitatem adeoque actu & eventu ipso suam recuperant & consequuntur, *non autem in ordine ad cæteros essent*, quos illis eo fine non rite usuarios, & libertate sua abusuros, & noviter abusuros, præsentit, aut si in ordine ad hos posteriores non essent (actu primo) *efficacia* aut non *sufficiencia*, ut & *iisdem* adhibitis felicitatem consequi vel recuperare possent, *si modo* libertate sua potius uti vellent, quam abuti. Ita enim in ordine ad hos posteriores *mediorum* rationem amitterent, eorumque *excusabilitati* locus ita idoneus relinqueretur. Si enim media felicitatis in ordine ad hunc aut illum non sunt *efficacia* (actu primo: nam reliqui actus *secundi* libertatis recto usui respondent & conformantur) tum sane & *sufficiencia* non sunt, ut felicitatem obtinere, adhibitis illis, possent, si vel adhibere quidem illa vellent. *Efficacia* enim destituerentur necessaria. Igitur omnia beneficia, ceu infinitæ bonitatis specimina non existerent, quæ *omnia* tamen vult Deus existere, quoniam omnia manent compossibilia & sapienter ordinabilia, abusu eorundem licet præviso. (§. 138. seq.)

§. 178. Vere igitur dici non potest, felicitatis obtinendæ vel recuperandæ media hanc rationem habere in ordine *ad solos* illis rite utentes, non autem in ordine ad cæteros, eadem negligentes. Si sapientiam Deo obstare putes, ut felicitatis consequendæ medium decernat quoque in ordine ad eum, quem eo non usurum prævidet, in quo finem itaque non consequitur, & circa quem *sine effectu* illud medium esset:

esset: ex §. cit. 138. seqq. memineras, temere quidem id existimari. Solus enim effectus excusatae ita divinae rerum ordinationis & certus inexcusabilitatis creaturarum, libertate abutentium, effectus ad excusandam eo casu Dei sapientiam sufficeret. De utroque tamen hoc effectu mediorem felicitatis, utut petulanter neglectorum, dubitari non potest. *Specialiora* in Cap. §. dicemus.

§. 179. Istud semper Dissidentes in transversum rapit, quod Deum, ad manifestandam suam *Vindicativam* justitiam, ejusmodi duri quid decernere velle &, quia necessaria sit in Deo, etiam *debere* arbitrantur. Sed ipsum hoc est, in quo a recto veritatis tramite aberrant, & suis demonstrationibus nihil plane efficiunt. Nihil enim facilius est, quam ex praemissis & Concessis Dissidentium ipsis Propositionibus ostendere, quod Justitia, qua *Vindicativa*, in Deo nonnisi *contingenter* existat.

§. 180. Quid enim est *justitia Vindicativa*? quae male facientibus poenam irrogat. Male facientes igitur praesupponit, ad quos refertur, & circa quos ita versatur, ut poenam illis, antecedentibus malefactis promeritam, decernat. Id quod ab omniscio, cui Hodie omnia sunt, & qui futura etiam determinate omnia praevidet, ab aeterno fieri potuit. Sed malefacientes non praesupponi possunt *absolute*. Quis neget, *contingens* esse, ut rationales creaturae, obligationi difformiter suae se determinando malefaciant? *Contingens* igitur est quoque divinae justitiae relatio ad malefacientes: h. e. *Contingens* est Justitia Dei qua *Vindicativa*, quatenus punit malos. Nemo tamen non videt, justitiam Dei sic *fundamentaliter* & *essentialiter* non spectari, quatenus *attributum* Dei est *absolute necessarium*: sed in *exercitio* constitutam, quatenus eos, qui male agere possunt, jam praesupponit existentes & libertate sua abutentes. Igitur, *praesupposita* hac quoque male agentium existentia nonnisi *hypothetice necessarium* est, nonnisi sub ista quippe hypothese (si
exsistant

existant male agentes) necessarium est, ut Deus malum puniat, ut bonitatem cum sapientia sic non aliter administret & restringat. Oppositum quippe non est, nisi sub ista conditione, impossibile. Inde tamen non sequitur, quod exercitium Justitiæ punitivæ Deo ita sit arbitrarium, ut pœnam malis irrogare vel non irrogare possit, ut a *mero* ipsius arbitrio dependeat, utrum dispensare vel non dispensare velit? Quod enim *hypothetice necessarium* est, id ita *arbitrarium* Deo esse non potest, ut & oppositum ejus Ipsi perinde esset. Pergamus autem ad *specialia*.

CAPVT IV.

De Absoluto Dei Decreto in specie.

§. 181.

Historiam doctrinæ de *Absolute Dei Decreto* &, quæ eodem fundatur, *particulari Gratia*, non tradam hoc loco *potissimum*. Neque etiam B. Lutheri duras quasdam & securius pronuntiatas hac de materia locutiones defendere vel excusare hoc loco animus est. Quid enim agere ab aliis actum juvaret? Adire potest hæc qui desiderat, Walchium in *seiner Einleitung in die Religions-Streitigkeiten* Part. 3. Cap. 4. Sect. 1. §. 27. seqq. p. 319. seqq. & Sect. 2. §. 22. seqq. p. 718. seqq. aliosque. De Dogmate ipso sententiam ex generalibus hucusque stabilitis dicam.

§. 182. *Absolutismus Theologicus* quid in genere sit, supra indicatum est. (§. 112.) Doctrinam in genere significat, quæ statuit, Deum aliquid velle ac discernere posse absolute, h. e. sine ratione ab objecto petita, sufficienti ac determinata, ut nullam objecti conditionem, tanquam sufficientem ac determinatam volendi ac discernendi rationem, respiciat *antecedenter ad volitionem aut Decretum*.

NOTA:

NOTA: Generatim ex Cap. 3. juvat observasse, Reformatos in generali Definitione Absoluti Decreti Divini, quod defendunt, sibi constare *nolle*. Vocabulis igitur suis facile teneri non possunt. Plerumque definiunt *absolutum* Decretum suum vel per id, quod *inevitabile*, vel & quod *physice independens* est, *cujus exsecutio a nemine potest impediri*. Ad fucum scilicet incautis faciendum. In specie & applicate id *Conditionato* oppositum volunt. In specie enim Decretum Divinum Electionis negant & pernegant *fidem* eligendorum respicere, tanquam *Conditionem antecedentem & objectivam*. Sententia igitur Decretum, Conditionato Decreto oppositum docent ac defendunt. *Dogma ipsum* igitur examinabimus, *vocabularias* lites devitaturi inanes.

§. 183. *Absolutismus Theologicus specialis* est doctrina, quæ Deum docet hominum aliis salutem æternam, æternos cruciatus aliis decernere, sine motivo objectivo ac determinate sufficienti, ab ipsis scilicet vel electis vel rejectis individuis desumpto.

NOTA: Quod nonnisi fides & incredulitas sit illud motivum objectivum, infra docebimus argumentis. Conficiamus vero rem prius *generatim*, & definitioni nihil, quod controversum est, intrudamus.

§. 184. Quanta autem explicationum & mitigationum & subordinationum & tergiversationum diversitate *specialis* hic *Absolutismus Theologicus*, pro diversis temporibus & a diversis ingeniis, traditus & propugnatus fuerit in Reformata Ecclesia, id quidem ex sola *Supralapsariorum*, & *Infralapsariorum*, horumque vel *Particularistarum* vel *Universalistarum*, *Hypotheticorum* eorundem vel *Categoricorum* appellatione eorumque varia docendi forma patescit.

§. 185. Equidem hoc loco speciatim ad singulos
istos

istos non attendam, sed ad *omnes*. Absolutum quippe Decretum Divinum suo modo retinent omnes. Et diversa posteriorum docendi forma illud in sese non mitigat, sed diverso solum ordine collocat. Nimirum quando a) *Supralapsarii* interrogantur de ratione speciali ac determinata, cur Deus justitiæ suæ gloriam manifestaturus *hos præcise homines* postmodum creandos & lapsuros ab æterno destinaverit ad damnationem, non vero illos, quos ad vitam æternam elegerit? ex *absoluto* Decreto respondent. Recinunt vero *eandem* cantilenam *Sublapsarii Particularistæ* post lapsum & de iis, qui in corruptione relinquuntur, & de iis, quorum miseretur Deus. Sed & *Universalistæ Hypothetici* nonnisi ex absoluto Dei Decreto respondere possunt ac solent, quando ex iis quæritur: cur itaque fidei donum *his præcise* subjectis deneget Deus, non illis, quos eligi docent? Similiter de *Gratia Efficaci & abundante Universalistarum Categoricorum* habendum, qui cætera *sufficientem*, quam vocant, gratiam concedunt universalem esse. Cur enim *his præcise* subjectis, postea reprobis, *gratia efficax & abundans* denegatur, non illis, videlicet electis? Ad *solum* Dei beneplacitum, adeoque ad absolutum Decretum in fine finali & hi cum fratribus confugiunt suis. In genere igitur prius determinanda & decidenda res fuit, ut generalium enunciatorum applicatio & ex præmissis Conclusio nemini non facilis esse queat.

§. 186. Ab initio multum divina majestate interesse putarunt Reformati Doctores, si omni sensu & & omni ex parte absolutus Despota Deus esse doceatur, qui etiam sine omni ratione præponderante, ex *solo beneplacito suo, unice ideo, quia sic velit, nec aliter*, & hoc possit velle & agere, & aliud omne, ut perinde sit Ipsi prorsus utrumque. Aliud si statuatur, *Independentiæ* divinæ aliquid derogari putarunt.

NOTA. Ita Synodus Dordracena Artic. 9, 10, & 15. *Electio facta est non ex prævisa fide fideique obedientia, aut alia aliqua bona qualitate*

&

& dispositione: Sed causa gratuita Electionis est solum Dei beneplacitum: in Actis Synod. Nation. Dordrac. p. 249. Add. Confess. Belgic. Artic. 16. Credimus &c. Ita Supralapsarii maxime strenui hujus Synodi Defensores, Beza, Gomarus, & post hos Philippus Naudé & recentior Vitus, Cassellanus, in Apol. Synodi Dordrac. præ cæteris. Fortassis cohærentius errorem docuissent suum, si absolutum Decretum ad rerum ideas & essentias usque cum Poireto, Philosophorum Fanatico, extendissent. Quamvis & iste conatus temerarius pariter atque frustraneus esset. Per voluntatem quippe ita perfectior evassisset Deus; quod cogitare, multa cum absurditate conjunctum est.

§. 187. Verum non modo clarissima Scripturæ sacræ oracula, sed & sanæ rationis principia vel tandem hanc sepelierunt opinionem. Omnibus enim a priori quoque continuo absurdum videri debet, si Deus, qui summa tamen Ratio est, sine omni ratione vellet aut ageret. Cœcum hoc Dei beneplacitum foret, si nihil ipsum quærentibus & cognoscentibus regeret, præter illud: sic volo, sic jubeo: stat pro ratione voluntas. Si tam absoluta esset Dei Independentia, ut sine omni ratione quid velle posset, tum sane & ex impossibilibus, absolute talibus, ut possibilia evaderent, velle posset. Sine omni ratione. De ea enim percunctatio nulla esset.

§. 188. Et quum hodie ipsimet omnes Reformati Doctores Decreti Divini rationes easdemque sapientes fateantur & doceant, lubenterque ita concedant, Deum sine omni ratione velle aut agere nihil: nulla amplius heic pugna esse videtur. Etenim plerique cum Infralapsariis hodie faciunt docentque omnes, qui Supralapsariis statim ab initio crudelem, absurdam & intolerabilem sententiam exprobrarunt, licet
vicis-

vicissim *hi* minus hac parte cohærentem Infralapsario-
rum Theologiam, neque injuria, exagitasse videantur.

§. 189. Ab initio tamen & Supralapsarii & Infralapsariorum plerique, absurditate *αλογε* opinionis coacti, nonnisi *subjectivas* easdemque *arcanas* divini similis decreti rationes subintelligebant & admittebant. *Subjectivæ* autem rationes dicuntur, quæ ab ipso subjecto agente desumuntur: vel: quæ actionem determinant propter ipsum agentem, & ab augenda ejus perfectione desumuntur. (§. 62.) Ita ratio *subjectiva*, cur Deus ad vitam *hos* æternam elegerit, *istos* autem rejecerit & æterno exitio destinaverit, esset ipse Deus discernens. (Vid. Cl. Stapferus l. c. §. 380.) Potissimum has urfit rationes *Philippus Naudé*, opinatus, *Deum tam absolute ac independenter perfectum esse, ut, pro infinita, quem sibi debeat, amore, nihil præter seipsum, respicere teneatur, cui SOLI quoque constet, quid suæ gloriæ ac summæ perfectioni conveniat, nobis homuncionibus plane non competere de eo judicium.* Atque idem omnino senserunt omnes, qui rationem Decreti Divini Electionis & Reprobationis sapientem agnoscere voluerunt videri, & tamen ad solam Dei arcanam voluntatem provocarunt, ratione objectiva opus esse negantes, & varia Scripturæ Sacræ istum in sensum male detorquentes. Innumerus, olim certe, Reformatorum ita sentientium, numerus fuit. Quando igitur Cl. Stapferus id de nonnullis tantum concedit (loc. cit. §. 381. not.) forsitan *hodiernos* Reformatæ Ecclesiæ Doctores intelligit. Ipse *Calvinus*, quî lapides cætera in dogmate hoc locutus est, & *Hieron. Zanchius*, duriora adhuc, ipso *Calvino*, effatus, non omnes Decreti Divini rationes abnuere ausi fuere, nonnisi *subjectivas* tamen easdemque *arcanas* interpretati.

§. 190. Vilescere tamen & hæ rationes cum decremento ipsius Absolutissimi hujus cœperunt, ut palpari potuerit, etiam tempore Unionis Lutheranos inter & Reformatos tentatæ, cum ab *Irenicis* viderimus

ita mitigatam, in quo durissima videri poterat, hanc Absoluti Decreti sententiam, sapientissimis quoque Divini Decreti rationibus expresse concessis, ut naris emunctioris Theologi jam tum judicarent, Absolutum Prædestinationis & Reprobationis decretum speratæ unioni sine dubio iri sacrificatum.

§. 191. Postmodum brevi *Applicatio* Principii Rationis sufficientis a recentiori Philosophia, Leibnitio auctore, commendata & inculcata Reformatos urfit, ut, veritatis splendore coacti, *publicum* quoque subjectivis rationibus nuncium mittere & *objectivas* Decreti Divini rationes admittere cogerentur. Inprimis illud effecit S. Ven. Canzianus utroque in Tom. *Ufus* Philos. Leibn. & Wolf. in Theol. Cum enim in genere nulla voluntas quicquam velle possit ex rationibus absolute *subjectivis*, solum ideo, quia vellet, & iterum vellet, quia vellet & sic sine fine, absque ratione sufficienti, (§. 62.) temere profecto ad subjectivas istiusmodi rationes (æquivoce sic dictas: revera enim rationem quærenti dant nullam) confugerent, qui Electionis & Reprobationis *nonnullorum* fateri rationem volunt.

§. 192. Tum vero nec *respective* subjectivis ex rationibus vult ac decernit quicquam Deus, ut aliqua inde perfectio ipsi conciliaretur. Perfectissimus enim & maxime beatus intransitive non potest perfectior & beator fieri. Etenim a nulla re quicquam perfectionis accipere potest. Ab ipso autem accipiunt, quicquid perfectionis possident, creaturæ omnes. Non igitur, nisi *transitive*, hoc est, aliis benefaciendo eisdemque beatos ita reddendo, beator fieri potest. Quicquid igitur vult ac decernit Deus, ex rationibus purissimis, hoc est, absolute *objectivis* vult ac decernit, quæ omnem sui amorem, omne utilitatis propriæ studium, excludunt. Otium circa has omnibus fecit præsertim diligentia S. Ven. Canzii in *Uf. Philos.* tom. 2. P. 1. Cap. 2. & in *Ontol. Syllog.* Cap. ult. §. 566. seqq. & in *Philos. Fundam.* §. 1201, 1202. p. 175. & alibi passim. §. 193.

§. 193. Sed necdum ita omnis *Absolutismo* huic *Theologico speciali* elabendi via præclusa erat. Quid enim? Si ratio OBJECTIVA Decreti Divini ita *speciatim spectati* sit GENERALIS duntaxat? & a bono publico quidem petita? & a nexu totius universi quidem desumpta? Quid? si reprobi e. g. sint militibus ad bellum, pro patria gerendum, delectis similes? Nulla tamen ab his IN INDIVIDUO positiva delectionis ratio plerumque repetitur. Plerumque fortuita sors, determinata ratione objectiva destituta, aut numerus juvenum ex quolibet pago mittendorum, aut alie circumstantiæ externæ (ut delegatorum ad id negotium Ministrorum avarus favor, cet.) hos illos nominant absque ratione INDIVIDUALI, ab ipsis delectis petita. Numquid bono & sapienti & justo itaque Principi sufficiens ratio delectionis adest, sed generalis & publica, a patriæ salute petita? Cur idem itaque de Civitate Dei non valeat? Cur Imperantes mundani magis independentes ita statuuntur esse, quam summus Monarcha, Deus?

§. 194. Sed a) Anthropomorphismus omni ætate multum erroris & litis in Theologiam Naturalem & Revelatam introduxit. Caveamus ex Deo hominem faciamus vel malevolum vel omniscientia & omnifapientia destitutum. Humanis in societatibus atque negotiis ejusmodi quid contingit vel quia non possunt Imperantes explorare & ponderare omnes omnium suorum civium rationes, vel quia nolunt. Semper itaque vel impotentia (ad quam & cognitionis defectus pertinet) vel malevolentia culpa. Utrum vero applicari ad Deum posse putas absque blasphema cogitatione?

§. 195. b) Omniscius Deus omnes omnium rerum differentias pernovit & in decernendo sine dubio attendit ad omnes. (§. 131.) Omnifapientia enim ejus omnia optimum in modum ordinat. (§. 130.) Sed nihil ordinat sine sufficienti ratione objectiva eademque determinata. (§. 160.) Igitur nec huic homini vitam æternam, alteri damnationem suo Decreto

adjudicat absque tali ratione sufficienti objectiva eademque determinata. *Determinate sufficiens objectiva* autem ordinationis hujus ad vitam aut ad mortem æternam *ratio non esset, quæ non ab ipsis individuis electis vel reprobis desumeretur.* Cur quæso? Aut ordinabilia ad hanc aut illam & *alia* quoque subjecta fuissent, aut non. Si prius dicas: ordinatio ista Divini Decreti esset in eventu *determinata*, quoniam *hæc* præcise individua determinata ex omnibus ad felicitatem - *ista* vero ad infelicitatem æternam destinarentur; Quæ tamen nonnisi ad utrumque, sine ratione objectiva *a priori*, determinata esse supponuntur; adeoque nonnisi *ordinabilitatis* ad alterutrum rationem in se continere cogitantur, si *ordinationis* hujus ipsius ratio *a priori* ab ipsis sufficiens nulla repetatur. Itaque plus esset in Decreto, quam in Objecto. Plus esset in Conclusionem, quam in præmissis, si logice quidem consideretur. Decretum res decretas mutaret, ex indeterminatis faceret determinatas. Quodsi *alia* vero individua *non æque ordinabilia* ad alterutrum aut utrumque fuissent, quam *ista* quidem: tum habemus *generatim*, quod volumus. Videlicet ratio determinata Electionis vel Reprobationis ipsorum *a priori*, ab ipsis *in individuo* repetita sit oportet, ut ex eadem nec plus intelligi possit, nec minus, quam cur ex pluribus ex æquo eligibilibus *hos* maxime elegerit Deus, non alios? cur ex pluribus eidem corruptioni obnoxiiis hos potius reprobaverit, non alios. (§. 51.)

§. 196. Verum, quanta est rerum connexarum multitudo? & quanta earundem varietas? Nondum istud argumentum *fidem* evincit aut *incredulitatem* esse illam rationem Decreti Electionis aut Reprobationis *a priori*, objectivam ac determinate sufficientem. Varias homo determinaciones habet, *essentiales* sive *naturales* & *morales*, quibus accedunt infinitæ ad singulas Totius Universi diversas partes diversæ quoque *relationes*, finito intellectui prorsus imperviæ & imperve-

pervestigabiles. Quid igitur? Si rationes illæ Decreti Divini objectivæ ac determinatæ, ab ipsis individuis electis vel damnatis sint repetitæ quidem, nobis autem incognitæ ac *specialius* impervestigabiles? & in nexu totius universi ideo latentes, quia nihil in toto hoc universo, nullam partem totius, decernit Deus, nisi in relatione ad totum universum & salva attributorum suorum summa perfectione? An nobis homuncionibus autem, quorum tantopere finita est cognitio, nexus ille totius Universi patet? an ita patet, ut cujuslibet rei nexum cum omnibus aliis perspicere & indicare possimus? Annon itaque rationes Decreti Divini *speciales* ac *determinate*, utut dentur, suntque manentque nobis imperscrutabiles & arcanæ, ut semper dictum? Quis igitur possit relationem exquirere, quam hic vel ille homo habet ad res in universo omnes? & quomodo ea ex consideratione divinum Decretum ad eundem referatur? Quis igitur *specialem*, imo *specialissimam* & *individualem* allegare rationem audeat, cur *hunc* hominem elegerit Deus, *illum* vero reprobaverit? Numquid heic ad summum *generalem* detegere rationem valemus, nempe convenientiam cum fine, in qua nobis subsistendum est? Si quid igitur de Decreto Dei cognoscimus, in eo subsistit, ut intelligamus, quod nihil Deus inconveniens, nihil quod cum fine Ipsius non conveniat, decernat. *Generalis* igitur *ratio* Decreti Divini in ordine ad hæc vel illa objecta est convenientia major ejus cum fine. In *speciali* autem ratione cum Paulo tandem jure ad exclamationem: *o Babos!* deveniendum est, quod adire nobis piaculum est. Quid igitur impossibilia scrutemur frustraneo pariter ac temerario conatu? Ista quidem ex recentiorum mente Reformatorum, & post *Canzianas* quoque refutationes ac demonstrationes, maxime Stapferus totidem fere verbis, sed passim, suæ Demonstrationi inseruit. l. cit.

§. 197. Speciosa quidem, at nihil metuenda oratio! a) Primo enim nobis sufficere jam posset, Dis-

sentientibus vel tandem hanc confessionem extorfisse, qua Definitionem Decreti Divini *Conditionati* ita totidem verbis admittunt & *soli* igitur *Nomini* Absoluti Decreti sui aliud tegumentum atque latibulum quærere necessum habent, ne scilicet Majores ipsorum a janua statim aberrasse videantur. Utcunque enim sint *inscrutabiles* Decreti Divini *speciales* rationes nobisque *arcane*, si, quod *generatim* constat, *objectiva* sint, si *determinata* sint, si ab ipso Decreti Divini objecto, ab ipsis individuis singulis, petita sint, profecto *Conditionatum* Decretum determinant, ex Definitione, & *absoluto* nullum locum relinquunt. *Tacite* igitur & *facto ipso* Absoluto Decreto suo repudium mittunt & fatentur vel tandem Reformati, in quo erratum fuisse olim nemo non hodie videt, quod vero ingenue & publice fateri nihildum juvat.

§. 198. Sed erimus *b)* liberales & hunc quoque Dissentibus scrupulum exempturi, simul unicum, qui Absolutismo huic reliquus erat, receptum præcludamus, quem temere sibi quærît præpostere modesta hæc docta ignorantia, errorem, qui in Deum injurius est, servatura & palliatura. Nullo in casu magnifice de iis sentire solemus, qui in longinquum & in loca remotiora mentiri consueverunt. Ejusmodi autem est illud mendacium, quod rationem divinæ Electionis & Reprobationis *hujus aut illius* hominis *a toto rerum nexu potius, quam ab ipsis individuis*, repetendam esse statuit. Videamus enim, an *in totum* impervestigabilis sit totius universi nexus? an *a priori* quoque? an *in totum* idcirco imperscrutabile Dei Decretum? an nefas ideo & piaculum sit, ob Majestatem Dei inviolabilem, sapientissimam Decreti ejus rationem *objectivam specialem* rimari ullam? An eo usque imperscrutabilis rerum & hominum cum rebus omnibus nexus sit, ut prorsus impossibile sit, allegare certam & omni de individuo veram rationem, quam Deus in decernendo respiciat, tanquam antecedaneum motivum *objectivum*, sufficiens quoque illud ac determinatum,

natum, cujus intuitu vel vitam homini vel damnationem æternam adjudicet? Motivum istud si assignare valemus, si argumento impetramus, *fidem in Christum esse priori- aut incredulitatem posteriori respectu, Absolutissimum Theologicum Specialem* quoque ad incitas redactum & omnino confectum esse hoc bellum arbitramur. Videamus quid hoc rei sit? & utrum tentari feliciter hoc possit? an minus?

§. 199. De nexu rerum, cui Deus existentiam decernere potest, *generalia* multa *a priori* cognoscibilia cap. antec. (§. 159. seqq.) determinavimus. Ea non jam repetemus, sed ex iis concludemus. *Idem primo generaliter.*

§. 200. Deum circa creaturas racionales nihil decernere, nisi & usum & abusum libertatis earundem, tanquam conditionem antecedentem, respiciat, Conclusionem, ut putem, legitima (§. 111. & 165.) intulimus. Eam hoc loco ut substernere tuto liceat, alio argumento firmabimus. Circa Creaturas racionales, uti circa res omnes, distinguere licet determinationes earum *internas & externas*, objectivo sensu tales. (§. 17.) Utræque enim constituunt rem omnimode determinatam. (§. 20.) Internæ autem creaturarum rationalium determinationes intellectu & libera voluntate absolvuntur. (§. 34.) Sed utraque illa facultas, quoad exercitium, adhuc indeterminata manet, nisi determinatio, sensu intransitivo & activo sumpta, accedat. (§. 9.) Jam vero intransitiva hæc & activa intellectus & voluntatis determinatio libertatis exercitium præsupponit, (§. 36. & 80.) quod rationalibus creaturis *essentialiter & naturaliter* competit, (§. 137.) adeoque *moralis* est determinatio. (§. 80.) Exercitium vero libertatis per hujus vel usum vel abusum, determinatione moraliter vel bona vel mala (§. 81.) se exferit, qua totius combinationis perfectio major vel promovetur vel impeditur atque minuitur. (§. 136.) Ad hanc igitur determinationem creaturarum rationalium *moralem*, hoc est, ad libertatis earundem

usum vel abusum in Decreto antecedenter respiciat necesse est, qui vult, ut libertatis abusum illæ caveant, (§. 120). & qui, nonnisi consideratis omnibus, decernit, Deus. (§. 153.)

§. 201. Determinationes *externæ* (objectivo sensu tales) rationem & in re determinata & in aliis quoque habent, quæ extra rem determinatam existere cogitantur. (§. 17.) Pertinent igitur ad rei modos & relationes, ex Definitione. Igitur & *externæ* intellectus & voluntatis Spirituum determinationes ad utriusque facultatis hujus *modos & relationes* pertinent. Sic intellectus determinatio *externa* est, cum *hæc* cognoscit, non clarius, non distinctius, non profundius, non plenius. Sic Voluntatis quoque determinatio *externa*, si hoc præ cæteris vult amatque, si *hoc* gradu eodem delectatur, non majori, non minori. Omnino autem *externæ* hæc determinationes nunquam sunt sine *internis*.

§. 202. Connexorum vero unum ex Definitione continet rationem alterius. Quatenus itaque connexorum unum continet rationem determinationis alterius Entis, eatenus ex eo intelligitur, cur alterum tale sit, nec aliud, neque id majori, nec minori, gradu; eatenus igitur illud in se continet rationem *externæ* determinationis alterius Entis, non *internæ*. (§. 17. & antec. 201.) Internas enim determinationes res quæcunque habet ex sua Essentia, existentiam vero earundem a Deo, in quantum positivæ sunt realitates. Quatenus igitur & speciatim rationales creaturæ cum aliis rebus, cum toto hoc universo connexæ sunt, eatenus istæ aliæ res connexæ in toto hoc universo nonnisi *externarum* intellectus & voluntatis determinationum rationem continent, hoc est, nonnisi *modorum & relationum* utriusque facultatis, *qua determinatarum*. Modi & relationes intellectus & voluntatis autem generatim vel usu vel abusu & utriusque sequellis continentur ac determinantur, ne ad plura & alia & majori gradu extendantur. Utriusque facultatis exerci-

exercitium vero libertati subest. (§. 36. & 80.) Igitur *generatim* ad libertatis usum vel abusum vel tandem omnia circa creaturas rationales recurrunt, quomocunque cætera sint illæ cum aliis rebus connexæ. Nihil itaque Deus in suo Decreto circa creaturas rationales versatus, antecederet respicere potest, præter libertatis (qua naturaliter gaudent) prævisum usum vel abusum. Conditio igitur antecedens, sive motivum a priori objectivum & sufficiens & determinatum Decreti divini, ad creaturas rationales relati, in usu vel abusu libertatis earundem præviso, terminetur necesse est.

§. 203. Jam vero in ordine ad libertatis usum vel abusum perinde est, sive homines (ut creaturas rationales) in statu instituto vel restituto consideres, si quidem Christus, quod facile evincemus, divina ex intentione, Salvator *universalis* est. Quam enim peccato toti & sibi simul imperfectionem contraxerunt, ea omnis per Christum tunc restituta est, ut omnia sint, ut ante lapsum, *effective*, si non *formaliter* omnino. Etiam si enim peccati fomes & radix in homine, post restitutionem in integrum quoque adhuc supersit, tamen & Sanctior Spiritus, merito Servatoris partus, eidem oppositus, gratia sua *preveniente* & *naturali* resistantiam tollit & nisum animæ corruptum perversumque, *quoad actum primum*, præiori statui restituit, ut libertate sua iterum bene uti *possit* ad finem, ad Dei gloriam, & quæ cum ea materialiter coincidit, felicitatem suam recuperandam. Solum in eo discrimen relinquitur, quod qui in homine integro *naturalis* fuit libertatis usus & voluntatis ad bonum determinatio (§. 32.) in homine restituto fit *supernaturalis*, (§. 33.) & *spiritualis*, Spiritui sancto quippe originem debens suam. Verum hoc quidem in Conclusionem nil mutat. Medium vero & unica opportunitas homini, in destituto & restituto statu considerato, Christus cum suo merito esse potest. Manifestus & capitalis & primarius igitur libertatis abusus foret,

si Christum cum merito suo, promissum Evangelio, cum posset, recipere nollet. Usus autem libertatis esset, si Christum, ut Salvatorem promissum datumque reciperet. Igitur Deus circa hominem restitutum quoque nihil decernit, nisi prius ad *specialem* quoque hunc libertatis abusum vel usum, quem praevidet, tanquam conditionem in homine antecedentem, respiciat. Quid autem est fides hominis (specialis) nisi animae nisus, Christum, ut *suum* Servatorem recipiendi? Quid incredulitas (*κατ' ἐξοχὴν* dicta) nisi contemptus meriti Christi, quod ad recuperandam felicitatem amissam exoptatissima opportunitas est. Itaque *fides* generatim ad libertatis usum reducitur: *incredulitas* autem ad ejus abusum. Sic nihil Deus etiam circa hominem, in statu *restituto* consideratum, decernit sine *prævia ratione fidei & incredulitatis* ejusdem habita. Si quem igitur hominem eligit Deus, ob fidem prævisam eundem eligit. Si quem vero damnat, eum damnat ob incredulitatem prævisam.

NOTA. Alibi fidem (*speciali sensu*, quo in materia hac adhibetur) definiti per *assensum animæ practicum*, quo Christum, ut *SUUM* Servatorem recipere nititur. Illius me nondum poenituit. Assensus enim Practicus non est *nudus & merus* assensus. Quia *assensus* enim verbum promissionis pro vera habet: qua *practicus* autem & illi convenienter agit vel agere nititur, h. e. accipit, vel accipere nititur, quod illud promittit, vel magna id cum *πληροφορίᾳ* & fiducia, vel debili velut ac titubante manu, ut in *tentatis*, quorum fides in solo *nisu* Christum, ut suum Salvatorem recipiendi, subsistit. Igitur hæc *ὀλιγοπιστία* si quoque *fiducia* vocari potest, profecto nihil quicquam, fiducia differt a *practico assensu*, quem ex *generali* fidei Definitione etiam in *speciali* salvificæ fidei Definitione *retineri posse* existimavi. Verum hæc obiter!

§. 204. Unum forte illud ambigam adhuc mentem circa antecedentem Conclusionem tenere potest, quod ejus præmissa *universale meritum Christi* supponat, quam temere & sine argumento non licet supponere præsertim in ordine ad Reformatos ut plurimum Dissidentes. Iste igitur scrupulus de industria eximendus est. Heic breviter concludemus ex generalibus supra traditis: infra sequenti Capite quinto plenius & planius hanc causam exposituri.

§. 205. Dubio procul infiniti Valoris est meritum Christi Θεαρθεωτης, in sese spectatum. Non hoc abnuunt Dissidentes: sed *destinationem & efficaciam & applicationem* Ejus infinitam vel *potius universalem* esse negant. Quodsi vero Christi meritum *in sese* infiniti valoris est: omnibus profecto hominibus lapsis redimendis illud *in sese* sufficeret. Sed illud jam supra effecimus, quod, si possibile sit remedium, quod *omni malo*, creaturarum rationalium culpa introducto, mederi valet, & simul omnes, libertate abusos, in integrum restituere potest, Deus illud decernat, (§.176.) & quidem ut *actu primo* *efficax* & *serio* omnibus destinatum, etiamsi omnes non sint, qui illud accipiant & ad finem illo utantur. (§. 177.) Valet igitur consequentia: Si meritum Christi *in sese* omnibus hominibus redimendis *sufficit*: tum actu quoque & serio & ut *efficax actu primo* a Deo omnibus hominibus destinatur.

§. 206. Quid autem? si ipsa quoque fides Dei donum sit? & ex ipso Decreto fluat? Neque enim salus consummata, sed omnia in Filio donata sunt, tam bonorum impetratio, quam applicatio. Act. 13, 48. Gal. 1, 4. c. 2, 8. Phil. 1, 29. Rom. 8, 32. Deus igitur non prævidere potuit hominem peccatorem *CREDITURVM* & bona operaturum, antequam hæc ipsi largiri decrevit. Ita quidem Stapferus loc. cit. §. 1176.

§. 207. Sed quis non statim intelligit, uti in cæteris, infra excutiendis, ita in hoc quoque dubio *possibilitatem* applicationis cum *actuali* applicatione,
data

data fortassis opera, commisceri? Fides tamen non *eo sensu* Dei donum est, ut & Ipse *Deus*, non homo peccator, credat. Aliter homini nihil omnino relinqueretur, propter quod ipse potius, quam Deus, credere dici posset. Jam vero si & *vires* credendi Deus homini conferret & ipsas has vires ad credendum quoque *determinaret*, tum ipse Deus & *solus* quidem crederet, non homo. Quænam ita ratio Deum impediret, quo minus *omnes* faceret credentes? si solus tamen omnia agit & determinat quoque? Si & a nullo principio extrinseco ulla ratione pendet? (§. 146.)

§. 208. Videlicet ita de fidei Dono statuendum est, ut & homini efficiendum relinquatur, quod *suum* est. Libertate autem sua privari non debet, nec potest. (§. 137.) *Hæc* igitur etiam, dum credit homo, siue in actu fidei ipso, salva necesse est maneat. Salva autem manere non posset, si irresistibiliter Deus ipsas credendi vires quoque *determinaret*, ut & in ipso credendi *actu* mere passive se haberet, ut truncus. *Spiritualiter* quidem mortuus est homo peccator, sed ita mortuus tamen, ut adhuc *naturaliter* vivat, ut adhuc intellectu & voluntate libera gaudeat, licet perverse determinatis. *Naturaliter* enim ad mala sese determinat ejusdem Voluntas. Præveniente autem Spiritus Sancti gratia, Restitutoris Christi merito parta, in integrum est restituta, ut ad bonum determinare se possit, *si velit*. *Determinatio* igitur hæc voluntatis in integrum *Gratia* restitutæ, in hominis potestate & arbitrio manet & libertatis usu vel abusu fit bona vel mala, ut homini possit imputari. *Spiritualis* itaque est voluntatis tunc illa determinatio & bona quidem (datur enim & *spiritualis* mala, quæ malo spiritui originem suam debet) & obligationi hominis conformis (§. 83.): sed *quatenus* est *spiritualis bona* & *gratiæ prævenienti accepta* ferenda, *eatenus* non ab hominis libertate dependet, sed tantum, quatenus est *determinatio*. *Hæc* ad officium hominis pertinet. *Hanc* habet & habere debet in sua potestate. *Hæc* ad Deum quoque

quoque transferri, sine injuria in Ipsum, non potest. (§. 146.) Scilicet præveniente & hominem corruptum in statum integrum restituyente Spiritus Sancti Gratia applicatrice nonnisi *actus & nisus animæ primus* in integrum restituitur: reliqui & sequentes actus secundi quoque ad hominis officium *liberi* pertinere intelliguntur, ut suæ obligationi iterum conformiter sese *determinare*, si quidem *velit, queat*. *Neccessarium* itaque est & *sufficit*, ultimam hanc Voluntatis determinationem bonam & spiritualem, non qua *bonam & spiritua-*
lem, sed qua *determinationem talem ac talem*, hominis libertati relinqui. Si plus vel minus homini tribuamus, ad capitales profecto errores delabamur necesse est.

§. 209. Facile putem ex hac theoria intelligi, quo sensu, ex rei veritate, dici possit, *in Christo, Filio Dei, Exoptatissimo nostræ salutis Reparatore, omnia nobis donata esse*, non solum *impetrationem bonorum spiritualium, sed eorundem quoque* **APPLICATIO-
NEM**: ultima scilicet voluntatis determinatione excepta, quæ liberæ quidem hominis voluntati abnegari non potest. (§. 137. & 146.) Ita vero & illud intelligitur, quod in dictis (§. 206.) allegatis libera hæc voluntatis determinatio non possit non præsupponi, a Dei dono, nisi quoad possibilitatem, non derivanda. (§. 208.) Quicquid enim Deus largitur, *positivum* bonum est. Determinatio liberæ voluntatis nihil est *positivi*. Dei igitur donum non potest esse. (§. 146.) Determinatio hæc Dei dona positiva nonnisi limitat. Largitio igitur donorum antecedere *potest & debet* eorum determinationem. Ad illam igitur & intellectus divinus prius, quam ad hanc quidem refertur. Prævidet Deus bonorum suorum largitionem, antequam illa sic aliterve ab hominibus, libertatis usu vel abusu, limitari, prævidet. Quod enim in objecto priorem relationem habet, idem & in divino intellectu, qui omnia repræsentat, uti sunt, priorem obtineat relationem necesse est. Quam vero
deter-

determinationem homini non potest largiri Deus, ejus *largitionem* nec prævidere, nec decernere quoque potest. Quid autem fides, etiam salvifica, respectu hominis, aliud est *generatim*, nisi virium credendi, divinitus donatarum, talis ac talis determinatio, obligationi conformis & ad specialem libertatis usum referenda? (§. 203.) Quis igitur est dicti sensus: Deum prævidere non potuisse hominem peccatorem crediturum & bona operaturum, antequam hæc ipsi largiri decrevit? (§. 206.) Nullus omnino, si ab eo, quem (§. 207. seq.) exposuimus, discedas.

§. 210. Cæterum *arcanas* Dei vias circa fidem hujus vel illius hominis nemo facile negaverit. Limitati cognitione & perspicacia pervidere omnia & futura præsumere animo non possumus. Imperscrutabilius igitur plurima nobis *particularia* & *individua* in vita præsentis maneat necesse est, quæ tamen ad *generales* reduci veritates nihil repugnat. Idem de *fide* hominis sentiendum est. Si quærat: unde fit, quod hic in Christum credat, ille vero in incredulitate sua permaneat? infinitæ concurrere possunt determinationes externæ, quas indicare nemo hominum valeat. Verum illæ omnes, uti *generatim* ad modos & relationes rei solum pertinent, (§. 17.) ita & *specialius* ad modos & relationes usus libertatis referuntur. *Fides* nil aliud est *generatim*, quam libertatis usus: Uti & *incredulitas* generatim in libertatis abusu consistit. (§. 203.) Omnes igitur istæ determinationes hominis ad fidem pervenientis *externæ* ad *occasionem, tempus, locum, gradum, &c.* fidei pertinent, non ad ejus *essentiam*. Neque voluntatem illæ cogunt, neque ultimam ei determinationem addunt, ut Christum, tanquam *suum* Salvatorem illa *nunc jam* recipere constituat. Decernit autem Deus res, uti sunt, neque in iis decreto suo quicquam mutat. Id quidem lubentes fatentur Dissidententes.

CAPVT V.

De Gratia Divina Particulari? an universali?

§. 211.

Generatim Gratia (*subjective*) est immeritum bonitatis exercitium. *Speciatim* Gratia Dei est infinita Ejus promptitudo, ob meritum Christi, sempiternam hominibus lapsis, in suo ordine, conferendi felicitatem. Gratia autem (*objective*) generatim est complexus bonorum indebitorum, quorum alter fieri particeps potest. In specie vero Gratia Dei erga homines lapsos est complexus bonorum, a Christo partorum, quorum homo lapsus particeps fieri potest. Qui significatus hoc loco maxime obtinet.

§. 212. Generalia vero hucusque posita & firmata ad *Gratie Particularis specialiore* considerationem applicituris id primo nobis impositum esse intelligimus, ut, quid per Gratiam *Particularem* intelligatur vel non intelligatur? ante omnia determinetur.

§. 213. Neque enim ex Veritate *Particularis* Gratia Dei negari potest, cum in *eventu & exitu* spectatur. Omnes etiam docemus, Gratiam Dei non apud omnes homines *plene salutarem effectum* habere, sed apud paucos; indeque non salvari omnes, sed paucos, hos tantum vel illos in particulari. Circa hoc igitur dissensus est nullus, nec præsens tractatio occupetur necesse est. Dei causam agimus circa istam particularitatem.

§. 214. Hoc itaque quæritur: unde vera & sufficiens istius *Particularitatis* ratio sit repetenda? utrum a *Dei* voluntate? & *sola* quidem illa? & *antecedenter* ad considerationem motivi, ab homine ipso desumpti? an adeoque a voluntate Dei *absoluta*? & in genere conditionem *antecedaneam* ex parte hominis *nullam* respiciente? an adeoque etiam non a prævisæ fidei *speciali* motivo? An ipsum quoque *fundamentum* Gratia Specialis a Deo positum ac destinatum sit *particulare*?

lare? An Christus cum merito suo ab Ipso Deo *non fuerit omnibus*, ut *Salvator* destinatus & missus, *sed paucis?* An ideo *omnes* homines Deus ad salutem æternam *serio & interne & efficaciter* vocare & ad se trahere *nolit?* An & media Gratia ob id ipsum ex *Dei intentione* sint particularia, neque universaliter *efficacia*, neque, ut iis æterna salus obtineri *possit*, *sufficiencia?* Hoc est, quod Reformati affirmant. In hoc igitur Dissensus hæret.

Conf. Synod. Dordrac. Artic. 8. p. 258. ubi totidem verbis Christum asserit a Patre datum esse, *ut solos Electos redimeret, ut solos electos fide donaret, ut solos electos a peccatis mundaret.* &c.

§. 215. Potest igitur *Particularis* hæc *Gratia* Reformatorum considerari tanquam *Corollarium Absoluti*, quod defendunt, *Decreti Divini* (*speciatim* considerati) cui immediate cohæret, & ob id ipsum Reformatæ Ecclesiæ Doctoribus incommodum atque ingratum non est. De *speciali* enim ratione etiam circa hanc *Gratiam Particularem* rogati semper ad *absolutum* suum *Decretum* recurrunt. (§. 185.) Igitur cum *Absoluto* *Decreto* & hæc *Particularitas* *Gratiæ* divinæ statque caditque suo.

§. 216. Potest autem *in sese* quoque illa considerari, ut quæ *Voluntatem Dei Antecedentem* abnuît (quam in *Decreto Divino* unico a *Consequenti* distinguimus) quatenus illa *speciatim* quoque circa salutem lapsorum hominum versatur. Negant enim Reformati, Deum universaliter omnium hominum salutem *serio* quidem & *efficaciter velle*, vel *antecedenter* ad meritum Christi, quando & hujus *Valorem* negant *universalem* esse, ut *Particularistæ* stricte sic dicti: vel *Consequenter* ad illud meritum, quando id *universale* quidem esse admittunt, sed tamen ejus *Applicationem* *AB IP SO DE O* particularem fieri docent ex Reformatis *Universalistæ*, *Hypothetici* pariter & *Categorici*. Etiam si enim utrique hi posteriores *Gratiam Dei* in
Christo

Christo omnibus destinatam & hoc sensu universalem admittere velint videri: eam tamen vel a *Conditione multis impossibili* suspendunt, (docentes: *velle Deum salvare omnes, si quidem credant, sed fidem omnibus Deum largiri nolle:*) vel ab ipso Deo limitatam & restrictam profitentur, aientes: Deum omnibus sufficientem dare Gratiam velle ad salutem recuperandam, sed non omnibus efficacem & abundantem illam, quæ effectum quoque obtinet desideratum.

§. 217. Sed quis non videt, utrosque hos ita docentes vel tandem ad Absolutum Dei Decretum itidem sese recipere, satis, ut putem, supra exterminatum & ex territorio sanæ Rationis proscriptum. Cap. 3. §. 160. & Cap. 4. tot. Etiam in genere nulla particularitas a Deo est, sed a Creaturis, *originarie*. Id quidem ex Contemplatione attributorum divinorum ad oculus patet, quæ omni ex latere sunt infinita. *Materialiter* enim spectata sunt Ipse Deus infinitus. Quid igitur sunt divina attributa *formaliter* considerata? Iterum infinitus Ipse Deus, sed quatenus ad omnia possibilia, sive existant, sive non, sic & aliter ad diversa referri cogitatur. Omnes istas relationes non jam indicabimus sigillatim.

§. 218. De Gratia Dei hoc loco quæstio est. Infinitæ autem bonitatis divinæ illa effectus est, si *objective* spectetur, quomocumque definiatur, *generatim*, vel *speciatim*, uti hoc loco sumitur (§. 211.) Infinite bonus autem omne vult bonum generatim, & omne vult bonum existere, quod quidem existere & cum aliis combinari potest: (§. 115. & 131. seqq.) & *speciatim* creaturis gratiam omnem (generali sensu (§. 211.) seu beneficia omnia largiri vult, quæ capere possunt, si nullum obstet impedimentum. Sed *finitorum* iste defectus est, quod capere omnia non possint. Duplicis ille generis. Vel enim in *essentiali* & *physica* creaturarum incapacitate consistit, vel in *moralis* simul, generatim libertatis abusu contracta. Qui enim libertate abutitur, tot beneficiis indignus est,

quot capere tamen potuisset. Imperfectionem enim, quam libertatis abusu suæ introduxit, & ejus sequelas nemo magis ut sentiat, quam qui eam introduxit, conveniens est. (§. 135.) Bonitati, sapienter administratæ, impedimentum morale hoc obstat, quo minus beneficia dilapidentur & indignis conferantur. Tristi autem, quem Protoplasti ceciderunt, lapsu omnes homines in eum indignitatis & incapacitatis moralis statum devenere. Hominum igitur culpa est, non *bonitatis divinæ*, si tot beneficiis non maestantur, quot cætera accipere potuissent, & Deus etiam omnibus conferre paratus fuisset, si cætera mansissent paria, si libertate sua non essent abusi. (§. 135.)

§. 219. Tum vero particularitas omnis, adeoque & gratiæ divinæ, *generalis & specialis*, determinationi originem debet suam, utrolibet sensu determinationis vocabulum (§. 17. & 26.) sumatur. Ideo enim aliquid est particulare, quia determinatum est, quia tantum realitatis præcise hic & nunc habet, non plus, non minus. Idoneo autem supra argumento evicimus, determinationem, *qua talem, & formaliter* consideratam, a Deo esse non posse, sed a solis creaturis. (§. 146.) Atque hoc quoque argumentum *in genere* valet, & *irresistibilitatem* Gratiaæ divinæ simul labefactat. Præparemus aliud *speciale*, quo etiam post lapsum Dei Gratiam erga homines nonnisi per hos ipsos, per *specialem* libertatis eorundem abusum, in eventu particularem fieri, distincte, putem, evinci potest. Evolvamus eo fine ideas, ut, quibus modis creaturæ rationales libertate sua abuti queant? dispalescat.

§. 220. *In genere* autem nonnisi *duplex* excogitari modus potest, quo creaturæ rationales sua libertate abuti possunt. Vel enim id fieri ab ipsis potest *immediate, in propria persona*, consensu adeoque *immediato, personali & formato*, quem vocant: vel & *mediate*, mediante alieno libertatis abusu, qui tamen & aliis cum ratione possit imputari, qui in propria persona
libertate

libertate non sunt abusi; consensu adeoque *moralis*, quocunque is deinceps nomine veniet. Sine consensu enim in factum imputatio nulla locum habet; uti ex *Moralibus* constat.

§. 221. *Prior* quidem modus, quod sciam, difficultatem non habet. Etiam si enim contingens & futurus ille *immediatus* & *personalis* libertatis abusus ponatur esse: prævideri tamen ab omniscio potest, uti est, & *eidem præviso* conveniens pœna statui ab eo, qui iustus simul est. Solum id quæri circa hunc modum posset: an etiam *præsumi* possit cum ratione? *Præsumere*, ut alibi dictum, est id pro facto habere, quod tamen revera *physice* factum non est, & cuius contrarium quoque, si læva mens sit, suo tempore actu fieri potest & solet. *Prævisionis* & *Præsumtionis* igitur diversissima ratio est. *Illius* objectum est determinatum - *hujus* ut adhuc indeterminatum spectatur. *Prævisio* physice & revera factum, *utut futurum*, præstruit, cuius contrarium certo & infallibiliter *non fiet*, licet a liberis fieri possit. Quemadmodum igitur in *Civilibus* quilibet præsumitur bonus, donec probetur contrarium; Quemadmodum & in *spiritualibus* post lapsum quilibet præsumitur Peccator, famoso sensu, donec fructus Sanctioris Spiritus præ se ferat: Matth. 7, 17. 20.: ita in *generalibus* quilibet rationalis præsumitur etiam esse rationalis & libertate sua rationi conformiter uti, donec physico actu naturam & rationem abnegare suam cognoscatur. Abusus libertatis imperfectionem infert, abutenti in sequelis & pœna persentiscendam. (§. 135.) Unde libertatis abusus non *ad favorabilia*, sed *ad odiosa*, pertinet. In *illis* autem, non *his*, præsumtio locum habet. Nemo enim rationalis cum ratione præsumi potest in damnum & infelicitatem sibi afferendam, qua talem, multo minus, qua perpetuam, consentire, *personali* & *physice proprio* seu *immediato* consensu. De hoc igitur certissimum manet consensu, quod supra (§. 144.) posuimus: Deum ex consensu in ma-

lum & damnum præsumto cum rationalibus creaturis suis non agere, nec eis ex eodem quicquam dare, nec quicquam auferre. Semper enim voluntas earum ad oppositum quoque *determinabilis* supponitur. Quamdiu autem non *ut determinata* & ad unum restricta spectari potest, tamdiu etiam conditio impleta esse non potest intelligi, propter quam Deus cum illis sic, non aliter, ageret. Hoc est: sine ratione sic ageret Deus; quod est absurdum.

§. 222. Sed quid habendum de altero modo (§. 220.) indicato? An fieri potest, ut quis in aliena quoque persona, & *mediante* alieno libertatis abusu, libertate sua abuti possit, ut & ipsi abusus iste imputari iuste queat? Constat id ex moralibus, varie illud ab *existentibus* & *malorum sociis* fieri posse, juxta illud: *Jussio, Consilium, consensus, Palpo, recursus,*

Participans, mutus, non obstitans, non manifestans: Nunquam tamen sine consensu *expresso* vel *tacito* id fieri potest, si imputatio iusta locum habere debeat. Sed quæritur hoc loco de *absentibus* & nondum plane existentibus, sed olim demum extituris? Singuli & extra societatis nexum spectari non possunt, si nondum simul omnes coexistunt (ut angeli,) sed demum per generationem aliis alii succedunt, uti homines. Diabolorum igitur alia conditio est. Aliud ideoque de illis iudicium est, at non hoc loco ferendum. Satis autem superque S. Ven. *Canzius* Noster (in Regim. Dei Univ. Sect. 4. Cap. 4. §. 871. seqq.) docuit & vindicavit, *interpretando* Consensu posteros in facta Majorum, *odiosa* quoque, quæ *nomine publico facta sunt* & *naturali ad posteros nexu manant*, consentire censerent, & tanquam consentientes tractari posse, maxime in iis negotiis, in quibus posterorum personæ representativæ & vicariæ Majores fuerunt, ut repetito labore idem hoc loco agi superfluum esset.

§. 223. Etiam de fundamento istiusmodi Consensus interpretandi dubios Lectores *Canzius* non relinquit *in applicatione* (l. cit. §. 896, 907, 908, 909. d)

Indica-

Indicabimus id quoque hoc loco *generatim*. Præsumitur Voluntatis Consensus, quotiescunque & quibuscunque in casibus pro actu declarato haberi *potest*, licet revera *physice* declaratus non sit, neque etiam declarari ab altero, de quo præsumitur, *hic & nunc* possit. Consensus igitur in factum alterius, vicarij & repræsentativam personam sustinentis, *generatim* præsumtus est respectu absentis vel nondum jam existentis, at olim existituri, cujus nomine vicarius agit & consentit.

§. 224. Sed quæritur omnino, quibus in casibus præsumi consensus in factum alienum *licite & salva veritate* queat? Consensus enim ad liberam quoque voluntatem pertinet & libertatis exercitium ac determinationem præsupponit. Voluntas autem nil velle potest naturaliter, nisi sub boni ratione. (§. 67.) Igitur si nihil sub mali ratione velle voluntas potest, in malum quoque, *ut tale*, & *sub hoc respectu*, consentire voluntas præsumi non potest. In *favorabilibus* igitur & *commodis veris*, a facto alterius expectandis, jure & multa cum ratione præsumi potest alterius absentis vel nondum existentis consensus, licet revera *physice* hic & nunc ab eodem declarari non queat. Ad irracionales enim Creaturas potius pertineat oportet, qui in commodum, alieno facto sibi afferendum, consentire detrectet. (§. 83.)

§. 225. Sed commodum istud, in quod voluntatis consensus præsumitur, vel *sine omni incommodo* est, vel *cum aliquo incommodo conjunctum*. Duplex igitur casus possibilis est. In *priori* sine dubio *absolute*, semper & ubique, præsumi consensus potest. In omni enim omnino occasione bonum, sibi afferendum, velle censenda est voluntas. (§. 67.) Unde hæreditatem mere *positivam*, h. e. nullis legatis aut debitis persolvendis oneratam, aditurus nemo non hominum præsumi potest. Quid autem habendum est de casu *posteriori*, quo aliquod commodum incommodum adhæret? Si evitari incommodum illud, quod commodum

adhæret, non possit; ut si pupillo hæreditas, multis onerata debitis persolvendis, sit adscribenda: cum discrimine quidem eo casu respondendum est. Si commodo enim incommodum prævaleat, cum ratione hæredis pupilli vel nondum plane nati consensus præsumi non potest. Minus commodum enim respectu connexi majoris incommodi fit malum. Sub mali autem ratione Voluntas velle nil quicquam potest. (§. 66.)

§. 226. Aliter sentiendum esse putem de *altero* casu, quo incommodum quidem impetrabili commodo adhæret, sed minus illud & reliquo commodo multum inferius, licet evitari non possit omnino, si commodo quidem non sit simul renuntiandum. Minus ita malum majori colliditur. Quid velle naturaliter possit eo casu voluntas? jam supra indicavimus. (§. 69, seq.) Scilicet minus malum sine dubio illa præfert majori malo. Consentit igitur in incommodum, inevitabiliter commodo cohærens, ne commodo quoque, tanquam majori bono, privetur. Sed consentit in incommodum, non *qua tale*, non *quatenus malum est*, sed quatenus commodum *majus* obtineri nihilominus potest; quatenus adeoque minus incommodum est, quam commodi majoris privatio esset. Igitur *respectively* solum consentit, non *absolute*, respectu scilicet boni adhuc, supputatis omnibus, prævalentis, non respectu mali minoris adhærentis. Minus malum, *in collisione*, majori prælatum, rationem boni induit. Hoc igitur casu quoque consensus *respectively* seu *respectivus* præsumi potest cum ratione.

§. 227. Majori adhuc cum ratione consensus ejusmodi *respectively præsumtus* locum habet, si commodo forte incommodum *non necessario & inevitabiliter*, sed *contingenter & evitabiliter* cohæreat; ut si infans pupillus dives in tutorem dativum consentire præsumatur, a quo male & perfide res pupilli potest administrari. *Majus* istud pupillo incommodum esset, si nullus plane tutor ipsi a Magistratu daretur, ut
omnia

omnia ipsius bona paterent omnibus. *Minus* autem incommodum ipsi foret, si vel Tutor, ipsi datus, non omni fide bona ipsius administraret. Ita bonis *omnibus* tamen pupillus non excideret. Et contingenter etiam istud incommodum facto adhæret. Potest enim fieri quoque, ut bene & in pupilli commodum Tutor datus concredita bona administret.

§. 228. Adde, casum a Magistratu prævideri, quo, male licet pupilli re administrata, pupillus *aliunde* in integrum restitui possit. Tunc plus adhuc rationis adesse cognoscitur, cur pupilli infantis consensus in istam Tutoris dubiæ fidei constitutionem *respectivus* præsumatur. Commodo enim majori sic omnem in casum locus adhuc relinquitur. (§. 226.)

§. 229. Quorsum ista vero? Scilicet, ut *primo* factum Dei excusatum præstemus, quo Ipse Adamum totius humani Generis Caput *Repræsentativum* constituit & ejus transgressionem primam quoque omnibus ejusdem posteris, in culpam pariter ac pœnam, imputavit. Etenim incommodum id quidem erat & inevitabile quoque *respectu posterorum Adami, si quidem ab eodem nascendi erant*, qui futuram suæ felicitatis & infelicitatis quoque rationem ita unius personæ repræsentativæ arbitrio concredere debebant, a qua fortean male quoque res agi posset libertatis abusu: sed *contingens* tamen hic erat abusus & Adamo *evitabilis* facile. Poterat enim & recto libertatis usu suam Adamus & posterorum ita maximam eandemque perennem stabilire felicitatem. Prævisa insuper fuit in Christo possibilis lapsorum hominum in integrum restitutio. Multa igitur cum ratione præsumi potuit a Deo eorundem consensus *respectivus* in Protoplasti, tanquam Capitis ipsorum *Repræsentativi*, constitutionem, sequelis ex ejusdem, publico nomine, factis in omnes ipsos quoque redundaturis. Majus enim incommodo commodum ita tamen superavit. *Majus bonum erat existentia, paucis licet divinis beneficiis mactata & incommodis quibusdam affecta, quam nigra*

& *æterna Non - existentia*. Minus malum in collisione majori prælatum rationem boni induit. Minus malum erat, existere homines, labe peccati infectos, neque tamen spe reparandæ salutis destitutos, quam in æterna nihili abyſſo relinqui. (Conf. S. Ven. Canzium §§. citt.)

§. 230. Quod si vero damnum *irreparabile* fuisset, & incommodum forte majus visum, si quis perpetuo infelix existere debuisset, quam si omnino non existisset; si dubitas, utrum præsumi quis potuisset respective consentire in suam existentiam cum infelicitate perpetua & semper crescente conjunctam; si Non-existentiam minus fore malum & incommodum censes, quam existentiam perpetuo & irreparabiliter infelicem: statuas per me licet, Deum eo casu posterorum in capite ipsorum repræsentativo consensum cum ratione idonea præsumere non potuisse. (§. 225.) adeoque & istum ordinem plurium ab uno Capite *Naturali*, quod *Morale* & Repræsentativum Caput illorum simul fit, omnino constituturum non fuisse, bonitate Ipsius forte & sapientia simul reclamatura. Sed iste casus huc non pertineret. Etenim *reparabile* fuit damnum, quod suo libertatis abusu Adamus in posteros quoque naturaliter propagavit. Possibilis & prævisa fuit in Christo Servatore illorum, qui alieno libertatis abusu, ex consensu respective præsumto peccatores sunt habiti & infelices facti, restitutio in integrum.

§. 231. Sed quæritur: *an omnium?* an quorundam duntaxat? Scilicet hoc *alterum* est, quod facile ex præmissis hucusque stabilitis intelligere licet. Quando enim Apostolus (Rom. 5, 18, 19.) Adamum, ut Caput *Morale* & Repræsentativum lapsorum, cum Christo, ut Capite *Morali* & Repræsentativo in integrum restitutorum, hominum comparat, ex Contextu profecto facile intelligitur, Apostolum sociatos *posterioris*, nempe Christi, non minori extensionis facere, quam sociatos *prioris*, nempe Adami. Atqui vero
sociati

sociati prioris sunt, sine dubio, omnes omnino homines. Rom. 5, 12. 1. Cor. 15, 22. Ergo & sociati posterioris, nempe Christi, non sunt pauciores, sed omnes. Conf. Summe Vener. Canzii Reg. Civ. Divinæ l. c. §. 909. c)

§. 232. Sæpe a Nostri Theologis graviter & cum fundamento dictum est: Cum bonitate pariter ac Sapientia Dei pugnaturum esse, si tot in integrum in Christo non restitueret, quot tamen in Adamo peccatores constituit. Distincte id quoque ex superioribus putem intelligi. Ex quo enim consensu Deus Adami posteros omnes, salva bonitate & sapientia sua, peccatores & infelices constituere potuit & voluit, ex illo etiam & magis adhuc eos omnes, salva bonitate & sapientia sua in integrum restituere potuit & voluit, si restitutio quidem fuerit possibilis. Majori enim cum ratione in favorabilibus consensus præsumitur, quam in odiosis. (§. 221. & 224.) Qui consentire *quodammodo* (scil. *respective*) præsumitur in damnum & incommodum, quod reparabile est, ille magis adhuc in *reparationem* illius damni consentire præsumitur. Cujuscunque igitur consensus præsumi licite potest in odioso aliquo casu, ejus consensus magis adhuc in favorabilibus præsumi potest & debet. (§. 221. & 224.) Atqui vero Deus ex *respective præsumto* consensu omnes Adami posteros, salva bonitate & sapientia sua, peccatores constituere & ut *tales eisdem tractare* potuit & voluit. Unde prorsus consequitur, quod omnes Adami posteros quoque ex consensu præsumto in integrum restituere potuerit & voluerit, *salvis id quidem attributis* suis, si quidem ista restitutio possibilis fuerit. Possibilem vero hanc fuisse in Christo, Θεωρηάτω, extra hanc Controversiam positam esse existimo.

§. 233. Dein lapsorum hominum restitutio in integrum, per Christum procurata, seu breviter, Constitutio Christi Restitutoris, insigne imo maximum Dei beneficium positivum & ad felicitatem lapsorum hominum reparandam desideratissima opportunitas

est. Ea igitur ex mundo, quem existere voluit Deus, exesse non potuit. (§. 139. seqq. & 176.) Sed beneficia Deus ipse sua non limitat aut restringit. Limitatio ista a creaturis est. (§. 141. seqq.) Ergo & summum Dei beneficium, Christi videlicet meritum, lapsos homines in integrum restituens, *a parte Dei non limitatum aut particulare*, sed universale est & omnibus lapsis destinatum.

§. 234. Scilicet in beneficiorum suorum *destinatione* Deus homines supponit rationales & voluntatem liberam obligationi suæ conformiter determinantes. Omnia parat, quæcunque ab iis, qui sua ratione uti, quam abuti, malunt, ad veram & perpetuam felicitatem obtinendam desiderari possunt. Matth. 22, 4. &c. Sed ista *Destinatio ex Voluntate Ejus antecedente* est repetenda. (§. 147.) Agit igitur cum hominibus, in *Voluntate Antecedente ex præsumto* eorum Consensu. *Absolute* enim omnes præsumi possunt in beneficiorum collationem consentire, non soli electi (§. 221, 224.) Et Christi meritum sine dubio maximum Dei beneficium est, quo lapsi homines in integrum restituuntur. (§. 203 - 205.) *Omnes* igitur lapsi homines præsumi possunt in exoptatam hanc Panaceam, qua omnimode sanari & restitui possunt, consentire. *Omnibus* igitur divinitus destinata est Panacea, qua consuli *omnibus* potest. *Omnibus* itaque lapsis hominibus destinatur ac datur a Patre Cœlesti filius cum suo merito, omnibus in integrum restituendis sufficiente. Joh. 3, 16. Rom. 8, 32. Ob id ipsum vero consensus præsumtus in electis ratio determinata electionis ipsorum esse nondum potest. Probat enim de omnibus lapsis, non de solis electis. (§. 178.)

§. 235. De infinita, qua claret Deus, bonitate (generali & speciali §. 115. & 116.) ipsi Dissidentes nulli dubitant. Post lapsum autem illa circa miseros versatur, exinde *Misericordiæ* nomen speciale nata. Ut igitur illa omnibus creaturis rationalibus felicitatem & perfectiones largiri parata est, quarumcunque
sunt

sunt passive capaces, serio quidem & efficaciter omnino, quantum in se est (§. 120.) ita & hæc, Christi satisfactione præsupposita, omnium quoque serio & efficaciter miseretur, in se considerata, consentiente Paulo Rom. 11, 32.

§. 236. Quid igitur Dissidentes? Sapientiam Deo obstare putant, quo minus omnium misereatur. Sapientes subesse rationes fatentur, quæ divinam misericordiam ad paucos, hos vel illos, restringant. Nulla lis esset, si mentem de Voluntate Dei *Consequente* solum interpretarentur, *Antecedente* Dei voluntate non abnegata: si sapientes istas rationes ab objecto, ab ipsis hominibus, quorum miseretur Deus, desumptas esse concederent: si non arcanas & impervestigabiles fingerent rationes Decreti Divini, ubi nullæ sunt, & quæ generatim cognosci & possunt & debent: si non ad *βάθος ἀλογον* delaberentur, quod revera *βάθος* non amplius est, utpote in quo nulla plane vera & determinata ratio eventuum determinantum locum invenit: si fidem assererent *antecedaneam* illam rationem esse, propter quam salus his vel illis hominibus decernitur: si Deum non dehonestarent *mero*, quod tuentur, *beneplacito*, quo ipsum honorare volunt &c. Sed præter rem fore existimamus, si denuo chordam hanc tangeremus & sapientiam divinam *universalitati* beneficiorum nihil obstare denuo ostenderemus. Facillime *genus* ad *speciem* transfertur, si §. 138. seqq. contuleris.

§. 237. Si omnium hominum Restitutionem in integrum *absolute* quidem possibilem esse forte admittant Reformati: semper tamen *respective* eam impossibilem contendunt esse, scilicet respectu finis divini, qui patefactionem Justitiæ *Vindicativæ* secum quoque ferat. Hujus autem laus si Deo quoque sequenda fuit, non eligi potuerunt *omnes*, sed quidam absolute reprobandi fuerunt, absque ratione speciali, ut putant, ab ipsis desumpta.

Sed obliviscuntur Reformati, Justitiam *Vindicativam*

vam nonnisi *contingenter* Deo competere. (§. 179. & 180.) Versatur enim circa objectum puniendum. Igitur & dignum pœna id esse debet & pœnam promeruisse, antequam referri ad illud divina iustitia cogitari potest. Quum vero illud demeritum hominis contingens sit, ipsa quoque Iustitia Dei Vindicativa nonnisi *contingenter* manifestatur. (§. 180.)

§. 238. Quodsi vero naturalis corruptio, in omnes Adami posteros propagata, sufficiens ac determinata Reprobationis horum illorumque subjectorum ratio esset, profecto omnes omnino homines reprobandi fuissent. Cur igitur *hæc* præcise individua reprobavit Deus? Cur non alia? Cur non *plura*? Cur non *pauciora*? Numquid unicus reprobis eo fini suffecisset? Si omnes in eodem corruptionis luto hærent & Deus ex *Absoluto* beneplacito agit: unde quæso discrimen est, quod sua electione vel reprobatione non facit, sed præsupponit Deus, qui sine prævia ratione objecti considerata nihil velle nec rejicere potest. Si *æqualis* Corruptio est *omnium*, cur horum præcise individuorum electio, illorum autem reprobatio divino fini est convenientior? An major hæc convenientia potest ratione destituta esse? Equidem non putarem.

§. 239. Maneat igitur verum, & corruptionem naturalem & gratiam restituentem esse in suo genere *universalem*, sed neutrum adhuc esse rationem sufficientem *determinate horum illorumve Individuorum* vel Reprobationis vel *Electiois*, *sed ad utramque hanc amplius quid requiri, a singulis individuis repetendum*. DEI hoc loco causam agimus iterum, firmiter persuasi, si plures ad salutem eligere potuisset *Consequenti* voluntate ac salva sapientia, bonitatem Ipsius in sese non modo non defuturam fuisse, sed eo potius inclinaturam & operaturam. Infinitam enim cogitamus eandem esse. Et circa homines per Christum in integrum restitutos *tantisper* naturale & morale impedimentum deprehendimus nullum. Ut planum adeoque sit ex-
putare,

putare, qua ratione divina bonitas infinita (in relatione ad miseros *Misericordia* dicta,) circa ejusmodi objectum *eo usque* versari possit?

§. 240. Si *indirecte* res etiam ostendenda est & declaranda, arbitror sane (licet nonnisi à sana cujuslibet Lectoris ratione constitutus arbiter) bonitatem Dei ac voluntatem omnibus creaturis benefaciendi, ex Reformatorum doctrina, uti *in specie*, ita *in genere* quoque non esse *seriam*, neque ut talem cogitari posse. Cur quæso? Videlicet quia tantum boni Decreto suo & Voluntate Consequenti non decernit, *quantum sine absurditate*, aut *inconvenientia*, aliunde nascitura, sive quod idem est, salva sapientia, potuisset obtinere: quia *partem quoque, quam præterit, sine urgenti incommodo negligeret*. Eligeret aliqua solum & *nonnulla præteriret* (subjecta,) *etsi nullum esset urgens argumentum, separationem posteriorum a prioribus postulans & persuadens*. Supposito enim, quod & *neglectis partibus* (subjectis) *idem destinari posset & conferri sine emergente incommodo*, *serius ille sane circa omnia* (individua) *non videtur, qui sine causa alteram, sive negligit, sive deserit partem*. (Conf. Ill. Bilf. Orig. Mal. Sect. 2. §. 235.)

§. 241. Dicam & applicate. Infinitæ misericordiæ laudem divina erga miseros Bonitas non tuitura esset, si quos ea negligeret ac præteriret, in suo corruptionis statu relictos homines, quorum tamen sine inconvenientia, aliunde hunc mundum intratura, misereri potuisset. Sine causa autem & sine emergente incommodo partem lapsorum hominum neglexisset ac sua misericordia præteriisset, qui in *æquali* tamen miseria & corruptione jacebant *omnes*. Quodnam quæso incommodum inde nasciturum, quænam inconvenientia inde emersura fuisset, si Deus summæ ac universalis misericordiæ laudem potius fuisset secutus, quam restrictæ & particularis? Et quid erat, quod æqualiter corruptos discernebat & reprobabiles, quam eligibiles, aut, vice versa, eligibiles potius, quam

quam reprobabiles hos, non illos, reddebat? Semper heic aqua Dissidentibus hæret. Beneplacitum Dei non est cæcum, sed majorem objectorum convenientiam, hoc est, determinatam in objecto rationem præsupponit, alterum præ altero, Electionem *hujus* præ ejus Reprobatione, vel & Reprobationem *hujus* præ ejus Electione, suadentem, quam determinate, utut *generatim* solum, indicare valemus, uti deinceps videbimus.

§. 242. Sed ideo fortassis *nonnullorum duntaxat* miseretur Deus, „*quoniam in ordine ad plures reliquos, frustraneam fore & salutari effectu cassam prævidet misericordiam suam; frustra autem Deus nil facit.* Bona verba quæso! Quasi vero frustra id esset, quo laudem Ipse summe misericordis tuetur & sine quo laudem istam tueri non posset! (§. 138. seq.) Quasi vero frustra id esset, quod homines impœnitentes reddidit inexcusabiles, & sine quo semper aliquis excusationi ipsorum locus relinqueretur, aliqua certe culpa æternæ ipsorum infelicitatis in *Ipsum Deum*, gratia ipsos prætereuntem & temere quidem prætereuntem (cum cæteris fuerint æquales, æqualiter miseri) redundatura. Ut illud jam denuo applicate non urgeamus, quod prævisus beneficiorum divinorum (adeoque & meriti Christi mediorumque Gratia) abusus non faciat ipsa beneficia (ipsum Christi meritum, ipsa Gratia media) *particularia*. (§. 138. seqq.) Perinde enim ita esset, ac si respectu illorum, qui prævidentur illis non-usuri esse, in mundo non essent, si illis neque destinata, neque efficacia satis in ordine ad eos, ne primo quidem actu, essent. (§. 140.)

§. 243. A parte *DEI* igitur *omnium* salutis nil obstat. Facit Deus, quod suum & suis attributis gloriosum est. In filio suo in integrum restituit *omnes*, qui aliena transgressione simul peccatores & infelices facti sunt omnes. Sed illa in integrum restitutio infert, *ut omnia iterum sint, ut ante, si non formaliter, tamen effective.* Jam vero ante lapsum considerati homi-

homines *externe* in gratia Dei (gratiosa) stabant, & ab eadem omnia, quibus perpetua eorundem felicitas promovebatur & absolvebatur, habebant: *interne* autem divinæ imaginis splendore, rectitudine mentis, justitia & sanctitate potissimum coruscabant. Eph. 4, 24. Col. 3, 10. Utroque respectu perfectionis hoc originario statu homines per lapsum Adami exciderunt & simul omnem cum eo gratiam & felicitatem, qua fruebantur, excusserunt omnes. igitur si omnes ab universali benevolentia divina per Christum in integrum restituuntur, profecto & *externe* Deo sunt reconciliati (2, Cor. 5, 19. 1. Joh. 2, 2.) & *interne* a *naturaliter* pravo animæ nisu (Gen. 6, 5.) sunt liberati, ut pedetentim converti & ad divinam imaginem amissam renovari possint.

§. 244. Si dubitas, an recte doctrinam de *Præveniente Gratia* Dei interpretes, explicabo mentem ulterius. Fortassis nimium ita dici putas? Fortassis Regenerationem & Justificationem ita statui censes ante Regenerationem & Justificationem? Ita irreginitus quis forte & tamen regenitus simul esset, quia in integrum restitutus! Ista omnia enim Deus, si antecedentia conferamus, ageret, & in omnibus omnino hominibus operaretur ex solo præsumto ipsorum consensu, *antecedenter ad pœnitentiam ipsorum & fidem.* Conf. S. V. Canzii Us. tom. 2. P. 1. c. 3. §. 139. seqq. neque his collide.

§. 245. Sed caveamus, ad vocabulariam litem ne devolvamur. Equidem *eo usque* Prævenientem & merito Christi partam Gratiam interpretes, *fundamento* ejus distincte supra indicato. (§. 232.) sed *in mea thesi* etiam *Conceptionem spirituales* (passivo sensu) ab ipsa *Regeneratione & Conversione* (transitiva etiam) distinguo, & fortassis etiam nihil metuo, ne quid a veritate alieni hoc *πρότερον παιδείας* doceatur, si *antecedens* ista & *universalis & Preparatoria Reconciliatio & Regeneratio* hominum, quæ consensu præsumto, a parte hominum, nititur, etiam in thesi admittatur & a *Consequenti,*

sequenti, speciali & formali sive solenniori hominis Regeneratione, Conversione, Justificatione & Sanctificatione hominis, quæ formatum & personaliter proprium cujusque consensum postulat, solícite distinguatur. Illam hæc supponit. In illa hæc rationem ita habet, ut sine illa hæc neque locum habere, neque cogitari possit. De Nomenclatura igitur lite opus non esset. Utrunque metus Pelagianismi & Fanaticismi distinctius abesse cognosceretur. Etiam peculiarem ita & nobis incognitam & ab ista diversam Gratia divinæ inter Gentiles Oeconomiam fingere necessum non esset. Fortassis & facilius ita Evangelium Christi hominum animos intraret, pœnitentiam præteritorum peccatorum & quotidianam, ob fontem mali omnis in corde superstitem, ideo non eliminaturum, sed promoturum. Distinguamus igitur distinguenda, ut Scriptura concordet.

§. 246. Si mavis tamen, (ne Entia, præter necessitatem, multiplicare, multa distinguendo, videamur) maneamus in formulis *receptis*. *Homini Resistentiæ Naturalem a Gratia Præveniente*, antecederet ad Regenerationem & fidem hominis, auferri communiter docetur. Aliter ad fidem pervenire nemo posset. Verum & hæc Gratia merito Christi debetur. Ab eo jam abstrahamus, quibus mediis & modis resistentiæ illa tollatur? *Quæritur: quid illa inferat? Generatim Resistentiæ nulla sine nisu virium contrario cogitari potest. Igitur & in spiritualibus de naturali lapsorum hominum resistentiæ ita est statuendum, ut nisus virium, quas habent ad malum, cum ex divina origine atque intentione nonnisi ad bonum tendere deberent, intelligatur. Duplicem igitur Resistentiæ illa naturalis in homine lapsio imperfectionem involvit: nempe & acediam ad bonum & nisum contrarium, nempe ad malum. Resistentiæ igitur Naturali per Gratiam prævenientem sublata, quis effectus in homine resultat? Nimirum, si impotentia ad bonum una cum acedia naturali - - simul vero etiam nisus*

nifus ad malum præponderans, tollitur: quid remanet?
a) Respectu termini a quo quidem sistitur animæ naturalis ad malum quodcunque præponderans nifus, ut ad malum non amplius præponderet: *b) respectu termini ad quem* vero iterum absque acedia bonum velle & operari potest. Ita, utrumque Gratiæ acceptum refertur, ut omnis Pelagianismus ab hac doctrina distincte cognoscatur abesse. Omnia postmodum ad *malitiosam* hominis resistantiam redeunt, *personali & formato* ipsius consensu, sed Gratiæ illius Prævenientis virtute, tollendam. Quid enim? Si sublata, per Gratiam Prævenientem naturali Resistentia, homines bonum velle rursus & operari possunt, utrumque positivum Dei beneficium inferat oportet. Sed ob id ipsum nonnisi actus volendi & operandi primus beneficio isto intelligi potest. Hactenus enim beneficium illud divinum, quod, naturali resistantia sublata, in homine existit & resultat, *respectu termini ad quem*, UT INDETERMINATUM spectatur. Nondum enim ille actus volendi & operandi primus, naturali Resistentia sua liberatus, hoc est, vis animæ volendi & operandi, supernaturaliter per Gratiam originario statui restituta, ad hoc illudve bonum determinare se cogitatur. Hæc autem determinatio absque injuria non potest in Deum transferri. (§. 146.) Hominis igitur ea jam libertati relinquatur. Hujus jam ad officium pertinet, ut, cum possit per Gratiam, obligationi suæ conformiter sese determinet, ut nonnisi ad bonum hoc illudve se determinet, hoc est, ut libertate sua non abutatur, sed ad finem ea, ad recuperandam, quæ amissa fuerat, felicitatem æternam, rite utatur. Ita prioribus hæc quoque conveniunt exacte.

§. 247. Nec plus igitur, nec minus ab homine, etiam per Gratiam Prævenientem in integrum restituito, sive a naturali resistantia sua liberato, expectari potest, quam ut jam libertate sua iterum uti possit, qua antea naturaliter nonnisi abutebatur. Si ea vero jam utitur, profecto supernaturali (respectu originis)

id fieri determinatione intelligitur. (§. 33.) Destituta enim voluntas, ut dictum, naturaliter non nisi *abuti* libertate potest.

§. 248. Utitur autem libertate sua obligationi suæ conformiter in integrum restitutus homo, si, quem universalis Dei benevolentia præsumebat, jam quoque in *propria persona* præstat consensum in istam Christi Restitutoris Constitutionem & lapsorum hominum per Eum procuratam in integrum restitutionem, si & verbum divinæ de Illo Restitutore promissionis pro vero & indubio habeat, *theoretico assensu*, si vero simul quoque *præctice* illi Verbo divinæ promissionis assentiatur, h. e. Restitutorem in integrum, a Patre datum, ut *suum* ac *sibi* datum Restitutorem recipere nitatur: id est, si credat, si Evangelio credat, si in Christum, ut *suum* Salvatorem, credat, adeoque donum, præveniente Gratia datum (§. 246.) determinet & obligationi quidem suæ conformiter determinet. Itaque fides in Christum, in genere si spectetur, eam ad specialem libertatis usum reduci iterum intelligitur.

§. 249. Ad fidem igitur in Christum res omnis & unice redit, si amissæ per lapsum felicitatis iterum participes fieri velimus ac debeamus. Capitalis adeoque libertatis abusus, & obligationi & fini difformis, foret, si, qui rationales ex Definitione a Deo præsumebantur, atque ut tales tractabantur (uti in odioso, sed aliunde inevitabili casu lapsus, ita in favorabili quoque casu Restitutionis lapsorum in integrum) homines, hi illi, se ipsos & suam rationem abnegarent, præsumtum in Dei factum (h. e. ipsorum restitutionem in integrum) consensum *personali* postmodum *dissensu* rescindendo, verbum promissionis de ea divinæ pro falso habendo, & Christum recipere, ut Restitutorem & Salvatorem *suum*, sive in Eum credere, nolendo. Alia enim per incredulitatem Servatorem rejicientibus ex infelicitate eluctandi via nulla patet. Joh. 3, 36. Recte hinc peccatores omnes a Spiritu Sancto stulti dicuntur, serius olim cognomen hoc suum

suum professuri. Sap. 5, 1. Incredulitas igitur, generatim considerata, similiter iterum libertatis abusus *specialis* esse intelligitur, cui unice tribui potest ac debet, si universalis omnium lapsorum hominum in integrum Restitutio, seu Gratia Dei post lapsum, in eventu *particularis* evadat.

§. 250. Omnem ita Scrupulum eximi putem, in quo dubius adhuc supra hærere animus forte potuit, quum restitutionem lapsorum hominum in integrum universalem tantisper sine argumento assumerem. Manet igitur: Si nihil circa liberum hominem decernit Deus, nisi antecederet ad libertatis ejusdem usum vel abusum respiciat, nulli hominum quoque salutem decernit, nisi hujus usum libertatis *specialem*, nempe fidem, præviderit, & nulli ex lapsis, sed & in integrum restitutis hominibus damnationem æternam adjudicat, nisi quem libertate sua, *speciatim* per incredulitatem, abusurum præsenferit Deus. De hac igitur Decreti Divini, Electionis & Reprobationis, ratione a priori certissime ac distinctissime constat. Nihil heic arcani, nullum *babos* quærendum est in ratione objectiva determinata *speciali*, sed in *specialioribus* & *individualibus* ejusdem certæ rationis circumstantiis, *tempore, loco, mensura, gradu.* &c. quæ omnia in singulis individuis variant & quæ omnia pervidere *finitus* intellectus nec potest, nec debet, de quibus omnibus tamen *generatim* pernovit, sapientissimis iisdemque objectivis ac determinatis rationibus ea omnia contineri & verum adeo *babos* secum ferre, licet excutere omnia ac declarare per seipsum non queat. In genere tamen certissimum manet, neminem hominum, nisi ex prævisa fide in Christum, ad salutem eligi, neminemque damnari, nisi ob prævisam ipsius incredulitatem, tanquam *specialem* libertatis, qua naturaliter gaudet, & qua, per Gratiam prævenientem restitutus, uti posset ad reparandum damnum, inexcusabilem abusum. (§. 249.)

§. 251. Distincte etiam, putem, ex theoria hac

lapsus & Restitutionis humani generis aliter, quam superius, inflexa, intelligi, fidem esse *a) unicum & determinatum ad salutem medium*, homini restituto quoque relictum & *b) conditionem* adeoque Electionis *consequentem* esse non posse. (§. 248.)

§. 252. Patescit vero etiam non minus distincte, cur fides hominis *non ex se*, sed intuitu *objecti*, circa quod versatur, nimirum Christi Servatoris, eundem salvet? cur unica adeoque salutis nostræ causa Christus maneat? & cur fides, ab hominis parte spectata, nonnisi *conditionis sine qua non* rationem ac respectum, in ordine ad recuperandam salutem, habere queat. Panaceam recipere non detrectet oportet, qua unica in integrum restitui & sanari interne possumus, quicumque sanescere optat. (§. 249.)

§. 253. Fortassis & illud Corollarium ex dictis facile deducam, quo, *reprobos infantes ad minimum nullos dari*, affirmatur. Quid enim? Temere profecto a Gratia & salute excluderentur infantes, quæ nonnisi speciali libertatis, eodemque *formato & personali*, in eventu particularis evadit. (§. 249.) Libertatis abusus in *propria persona admissus* seu *personalis* omnino rationis usum præstruit. Eo autem infantes nondum pollent. Non possunt igitur *eo usque in propria persona dissentire* in suam in integrum restitutionem. Sed nec *presumi* possunt in suam hanc restitutionem in integrum, divinitus procuratam, in *propria persona*, dissentire. Perpetuam enim iste dissensus infelicitatem ipsis contraheret, omni commodo destitutam. In mere odiosis ac prævalenter damnosis præsumptio nulla locum habet. (§. 234. seq.) Infantes igitur *cum ratione* a reparata salute excludi non possunt. Sed sine ratione non excluduntur. De omnium igitur æterna salute infantum, quicumque sint illi & ubicunque sint nati & quandocunque mortui, ante baptismum vel post baptismum, *modo-ratione nondum utantur*, dubitatio nulla relinquitur. Alibi (in Fide Inf. Salvifica, thetice asserta) conclusi *affirmative*: Credunt revera infan-

infantes in Christum *omnes* : Credunt fide *formaliter præsumtiva*, sed *effective* tamen simul *actuali*, actu fidei scilicet *primo*, qui infantibus, ulterius nondum corruptis ac depravatis, necessarius est & sufficit omni respectu. Ergo & a Deo, ut tales, tractari & salvari possunt *omnes*, quamdiu rationis usu destituuntur, utpote, quo maturescente, etiam facile sua libertate imprudenter abuti *possunt* & plerumque etiam *solent*.

§. 254. Qui finem serio vult, velle etiam media debet, queis obtineri finis potest, & sine quibus ad hunc non perveniretur. Aliter finem ille serio velle nulla cum ratione putaretur. Nullus enim finis absque mediis obtinetur. Igitur & qui finem serio vult *universalem*, uti salutem *omnium* hominum, Deus, ille media quoque universalia velit, hoc est, talia illis *omnibus* media, remotiora & proxima, concedat necesse est, quibus *omnes* salutem æternam obtinere possent. Quum vero nonnisi unicum lapsis hominibus possibile, determinatum & universale ad æternam salutem consequendam medium supersit, nempe in Christum fides, (§. 248. seq.) nulli hominum Deus profecto adminicula ea & opportunitates vult denegare, quibus ad fidem pervenire posset, si quidem iis, (quod, gratia præveniente restitutus & adjutus, posset) quilibet rite ac dextre uteretur, si facere quoque, quod suum est, justo libertatis usu, non detrectaret.

§. 255. Omnino igitur a priori sic est habendum : salva Dei bonitate ac sapientia, neminem a Deo in eas poni circumstantias, quæ ipsum ad incredulitatem vel cogent, vel ejusmodi tamen essent, ut homo ex iis non eluctari, ut ad fidem, *nimum impeditus*, pervenire non possit. Verum & illud pro certo habendum, quod media NB. *Gratiæ* in ordine ad omnes homines & *sufficiencia* & *eo usque efficacia* debeant esse, ut finis *proximus*, fides (quæ unicum ad *remotum* finem est medium) & remotus quoque, salus nimirum æterna, obtineri queat ab omnibus, qui sibi ipsi,

inexcusabili libertatis suæ abusu, deesse nolunt. Ali-
ter ejusmodi media *Deo quoque indigna* essent & op-
probriosa. (§. 143.) Et homines validam quoque ex-
cusationem invenirent, si mediis sufficienter (ad pos-
sibilitatem effectus) efficacibus, a Deo denegatis, ad
fidem & gratiam non pervenirent. (§. 144.) Ultra
posse nemo obligatur. Si credere *jubentur omnes* in
Christum, *omnibus* quoque ad fidem via pateat necesse
est. Quotquot enim damnantur, ob incredulitatem
damnantur. Aut igitur damnationis multorum cul-
pa in solum Deum recidit, aut excusationem incre-
dulitatis suæ inveniunt certe damnati homines: aut
ista, quæ hoc loco intulimus, verissima suntque ma-
nentque.

§. 256. Deus autem omnino est excusandus & in-
nocens declarandus, homines autem increduli & pro-
pter incredulitatem suam damnandi, etiam ἀναπολόγητοι
sunt præstandi. Atqui neutrum in doctrina Dissen-
tientium locum habere potest; uti apparet. *Deum*
excusare nesciunt, qui tantam bonitatis ac sapientiæ
laudem non sequeretur, quantam sequi tamen ac con-
sequi, salvis omnibus, posset, beneficiis universalibus,
mediis Gratia universalibus, h. e. universaliter suffi-
cientibus & efficacibus concessis atque propositis,
etiamsi ab omnibus non acceptentur & usurpentur.
(§. 143. seqq.) Damnatos autem reprobos suos omni-
no excusatos fateri coguntur, qui ex puro beneplacito
Dei a possibilitate credendi & a mediis idoneis ad
fidem perveniendi, fuerunt exclusi, contra §. 144,
& 145.

§. 257. Sufficit autem utrique fini, si ea, quæ
§. 255. posuimus, vera sunt, ut facile vera esse
cognoscuntur, si ad divinam justitiam referantur.
Ut enim ab eo, qui multa accepit, multa postulabun-
tur: ita & iis, qui multis impedimentis concipiendæ
fidei sunt circumsepti, magna Gratia mensura a Deo
data est reputanda, qua rite usi eluctari ex omnibus
& ad fidem pervenire possent, uti cæteri omnes, qui-
bus

bus, data *minori* Gratiæ mensura, ex *paucioribus* impedimentis est emergendum.

§. 258. Omne dubium, quod in transversum rapit Dissidentes, inde est, quod a *posteriori*, ab eo, quod fit *in eventu*, ratiocinari incipiant de Deo, & ab hoc deinceps ad ipsam Dei Voluntatem in sese atque ad destinationem divinorum beneficiorum similem concludant. *Media Gratiæ*, aiunt, *ipso facto non sunt universalia*. Omnes nondum vocantur, neque *olim vocati fuere*. *Verbum Evangelii solenniter omnibus non predicatur*. Omnes non ita efficaciter vocantur, ut veniant. Multi in *ALIIS* circumstantiis *possi ad fidem pervenissent*, in *HIS* autem ad eam non pervenere. *Sacramenta in omnibus effectum non consequuntur salutarem*. Pauci ad Dominum convertuntur. Pauci salvantur. Ergo & voluntas ac destinatione Gratiæ ac salutis non nisi ad hos paucos extenditur, qui actu regenerantur, justificantur, sanctificantur, glorificantur.

§. 259. Sed quoties & quam plene & solide a Nostris ad hanc quoque difficultatem est responsum, quod satis esse potest! Integrum eo fine Joach. Langius libellum (*Von der allgemeinen Gnade*) scripsit, ut ostendat: ab incunabulis mundi Deum nullam hujusmodi *Partialitatis* vel *Particularitatis* (vocalibus veniam!) suspicionem dedisse: nunquam per omnes ætates & priodos limitasse & restrinxisse suam gratiam salutarem & voluntatem seriam salvandi homines: omnibus semper Gentibus ad Ecclesiam Dei aditum patuisse: neminem ab ea absolute exclusum fuisse: Deum quidem a cæteris gentilibus suum populum distinxisse, sed ut eo magis & gentes allicerentur & ad verum Dei cultum invitarentur. &c. Verum ista jam non repetam, pro dictis habenda. Equidem hoc loco magis facio *generalem* S. Ven. Canzii responsum, quam passim apud Ipsum legis, (*Ufus Philos. tom. 2. P. 1. Cap. 2. §. 42. seqq. p.*

97. & §. 135. p. 167.) & qua efficitur, *sapientissimum*, „*sæpe nonnulla serio velle, qua tamen non eventum certissime presentit, scilicet, si per se solum non steterit, ut adprobata non eveniant.* &c. Ut inde ab eventu non liceat ad intentionem concludere. Multoies Magistratus fert leges, non ab omnibus observari solitas, licet ab omnibus observari & possent & deberent. Nihilominus eas ferre Magistratus sapiens non a sapientia sua alienum putat. Facit eo casu, quod suum est, & quod cæteros transgressores ad minimum reddit inexcusabiles. Uti igitur non licet ex Voluntatis Consequentis bonæ, ac sapientia munitæ, particularitate *eventuali* ad particularitatem Antecedentis ejusdem voluntatis concludere: ita nec ex *eventu* particularem Dei gratiam dijudicare licet, sed ex antecedenti Divina Voluntate.

§. 260. Sed omnes fortasse homines a sapiente & „*simul omnipotente Deo in iis quidem circumstantiis, collocandi fuissent, in quibus certo ad gratiam fidem, que pervenissent?* Scilicet a) Deus non teletur solus æternam felicitatem creaturarum suarum rationalium procurare vel promoveri, si hæ quidem dissensu sua libertate abutantur: sed harmonice dantaxat, si hæ quidem non minus, quod suarum est partium, faciant. (§. 135.) Tum vero b) jure Deus utitur suo, si gravioribus ipse rationibus impeditus non potest, salva sapientia, omnibus hominibus eas quoque largiri externas circumstantias & opportunitates, in quibus constituti ad malam, incredulitatis, partem se non determinassent. Id libertat sua abutentes ideo non reddit inexcusabiles, si utique & bene uti eadem, non impediti nimis, potuissent. (§. 142.) Et c) *tertio* quidem nemo ad felicitatem æternam, nisi heic præparatus & exploratus, pervenit. In integrum restitutis hominibus Arbor Cognitionis boni & mali symbolica etiamnum proposita omnibus est, quicumque uti ratione vel abuti didicerunt, ut in *effectu* perinde sit in ordin ad eos, qui uti ratione sua

sua possunt, utrum ipsimet in *propria* vel *aliena* persona imputative, ab arbore vetita comederint?

SECTIO ALTERA ANTITHETICA.

CAPVT I.

§. 261.

Satis expedito jam pede ad Sectionem Tentaminis alteram, nempe Antitheticam, progredi datum est. Quam amplius autem heic sese nobis campus aperiret, si omnes hac e Controversia natas Sub-Controversias cum principali excutere - - si priora ab aliis solide dicta repetere - - si cum responsionibus utriusque partis exceptiones atque ultimas quoque responsiones contendere vellemus, ut, in quo loco & nodo Controversia hæc etiamnum hæreat? & in quo dissensus speciatim superfit? determinate appareret!

§. 262. Sed animus non est reponere cramben toties ab aliis recoctam. Brevius hoc tanto labore perfungi datum est. *Generalem* hucusque totius rei hujus considerationem habuimus. *Generalis* autem tractationis non est, nisi *generales* suppeditare responsiones & argumenta, *specialibus* facile substernenda, totamque litem, si non omnino confectura, magno-pere tamen abbreviatura. Laudem meretur ejusmodi tractatio, si *usum* hunc quoque in eventu obtineat. Eo quidem primario hæc tota tractatio pertinet: utinam & suo, quem intendit, usu atque eventu non destituatur!

§. 263. Magnum vero & præcipuum robur etiam recentiores Reformati *generalibus* suis ratiociniis tri-

buunt, quibus etiamnum pro Absoluto Decreto & particulari Gratia sua pugnant, & quibus omnes suas exceptiones superstruunt. *Istis igitur labefactatis & hæc corruunt ipsæ.* Ad ista igitur primo loco attendamus.

§. 264. Pro *Absolute* autem Decreto suo (*generali & speciali sensu*) Reformati hodie sic maxime argumentantur:

Quodcumque Decretum a nulla conditione pendere potest, illud est absolutum.

Atqui Divinum Decretum in genere, adeoque & cum in specie circa hominum salutem vel reprobationem versatur, a nulla conditione pendere potest.

Est adeoque absolutum.

Major Propositio est Absoluti Definitio. Absolutum enim est, quicquid a nulla conditione pendet. Minorem Propositionem vero hoc maxime argumento suffulciunt: Quicumque finem & omnia media simul unico actu decernit, illius Decretum a nulla pendere potest conditione. Si enim RES DECRETA a conditione suspensa est, conditio simul decreta est. Atqui Deus finem & omnia media simul unico actu decernit. Ergo divinum Decretum a nulla pendere potest conditione.

NOTA: Pro cautela & explicatione addunt: *in Decreto Divino non excludi omnes conditiones: fidem enim esse conditionem, sub qua homini æterna salus promittatur, & sine qua illam obtinere nequeat: sed aliud esse, a conditione pendere, aliud, conditiones & media subordinare fini: id solum Reformatos statuere: nihil fuisse EXTRA Deum, a quo ceu conditione Decretum illius pendere potuerit. Conf. Cl. Stapferum in Instit. Theol. Pol. Tom. I. Cap. 3. Sect. 17. §. 1182, 1184, 1206. cum nota.*

§. 265. Sed facile est etiam, ex antecedentibus expu-

exputare, quid jure in hoc argumento desiderari queat? a) Primo enim *Absoluti* Definitionem *Major* Propositio confundit cum Definitione ejus, quod *physice independens* est; uti supra Cap. 4. ostensum est. De hoc autem Controversia nulla fuit unquam, quod Deus in suo Decreto *physice independens* fuerit. Et enim *extra Eum* antecedenter ad Decretum, quo res demum existere jubentur, nihil extitit, neque ut existens cogitari potest. Istum igitur fucum abesse jubeat candor!

§. 266. b) Tum vero id *extra Controversiam* est, quod sibi Deus *possibilia* in intellectu suo repræsentet, *ut talia* (vid. Cl. Stapfer loc. cit. §. 323. p. 79.) quod adeoque *ideæ rerum* non sint *arbitrariæ*, sed *necessariæ & immutabiles*. (Stapfer loc. cit. §. 351. seqq.) Sed ob id ipsum & *extra Controversiam* in futurum sit oportet, quod *logice* Deus in suo Decreto a rebus repræsentatis *dependeat* ex Def. (§. 94.) Et cum nihil quoque velit *decernatque* vel *agat* Deus sine *motivo sufficienti*: (Vid. Stapf. l. c. §. 381.) fatendum est quoque ex Definitione, (§. 97.) etiam *rationabiliter* Deum a rebus *volitis* sive *decretis* *dependere*. Utrumque absque ulla in Deum *indignitate* doceri posse, supra quidem ostendimus. (§. 41, 59, 103. seq.)

§. 267. Nemo igitur non facile cognoscit, quam *æquivoca & ad fucum festinantibus* faciendum apta sit *Minor Propositio* in superiori *Dissentientium* argumento, cui vero sub *data explicatione & limitatione* species veri omnis *decedit*. Quid enim?

c) An illius *Decretum* ne *logice & rationabiliter* quidem *pendere* potest ab ulla *conditione*, qui *finem & omnia media simul & unico actu* *decernit*? Cavent sibi *Dissentientes*, uti ex dictis apparet, ne hoc dicant, vel *admittant*. *Unicitas enim & simultaneitas Decreti decretas res ipsas* non *mutat*. (Stapf. l. c. §. 439.) Non facit, ut, quod ex *rerum natura* est *consequens*, fiat *antecedens*, vel, *vice versa*, ut, quod per rerum naturam est *antecedens*, fiat *consequens*. Atqui vero

medium

medium & conditio sine qua non, per rerum naturam omnino finem antecedit objective. *Illud enim facit ad finem obtinendum. Sine hac autem finis ne obtineri quidem potest.* Igitur nec divinum Decretum naturam hanc rerum immutat. (Conf. quæ §. 95. seq. habentur.) Est autem fides *medium ad salutem æternam & ex parte hominis conditio*, sine qua salus æterna obtineri non potest. (Stapf. loc. cit. §. 1180. sq.) Igitur fides in uno eodemque Decreto Divino non potest rationem *Consequentis*, salus autem æterna rationem *antecedentis* obtinere. Sed Decretum Divinum decernit res, uti sunt. Quod in ipsis rebus decretis priorem relationem habet, id ipsum & in Decreto Divino, salva actus unicitate, priorem relationem servet necesse est. Sed præmium cogitari non potest sine antecedenti vel merito vel dignitate & convenientia, neque pœna sine demerito antecedenti. Est autem salus æterna præmium fidei in Christum, Joh. 3, 16, 36. 1. Petr. 1, 9. uti æterna damnatio pœna incredulitatis est. 2. Thess. 1, 8. 9. Non potest igitur illa cogitari de homine lapsa sine merito (Christi scilicet, fide apprehenso) neque *hæc* sine demerito petulantis atque finalis incredulitatis. Fides adeoque & incredulitas in unico Dei Decreto rationem *Antecedentis* & illa ad salutem *hæc* ad damnationem æternam sane *priorem* relationem habet. Ad fidem & incredulitatem hominis lapsi Deus igitur priorem respectum habuisse cogitandus est, quam ad consequentem salutem aut damnationem æternam.

§. 268. „*Verum fortassis utrumque a puro puto & absoluto Dei beneplacito pendet? Conditio simul decreta est, si res decreta a conditione suspensa est. Ita si hos illosve homines prævicit, non sine fide salvari posse, decrevit simul, fidem ipsis dare velle. Qui enim omnia decernit simul Deus, ille etiam simul & gloriam & merita, scilicet fidem & sanctimoniam, donare decernit. Unum ab altero separari nequit. Ergo dici non potest, Deum decrevisse huic vel illi homini salutem consum-*
 „*matam*

matam conferre, quia præviderit, hunc hominem in his
vel illis circumstantiis crediturum. Idem quippe hoc
esset ac dicere: Deum homini salutem dare decrevisse
ideo, quia præviderit, se illi fidem & dona spiritualia
reliqua daturum. (Stapf. l. c. §. 1117. seq.)

§. 269. At ne hoc quoque effugium satis aptum
est ad glaucoma veritati objiciendum. Supponit enim,
a) rem decretam, quæ a conditione suspensa est,
nempe salutem horum illorumve hominum decerni
absolute, hoc est sine ratione a priori objectiva deter-
minata, ab his vel illis hominibus ipsis desumpta, qui-
bus æterna salus decernitur. Supponit, b) decerni
conditionem, sine qua nemo salvari potest, consequen-
ter demum ad rem jam decretam, ad salutem jam de-
cretam, adeoque & consequenter ad prius Decretum,
quo salus æterna his vel illis antecedenter decreta est.
Occulte igitur c) implicat plures tamen & successivos
in Deo Ipso decernendi actus, dum unico tamen De-
creto simul omnia Deum decernere asserit. Supponit
d) ita irresistibiliter donari electis fidem & sanctimo-
niam divino Decreto, ut ideo aliqui credant, quia
solis ipsis donetur fides, ideo autem & plures non
credant, quia ipsis fides a Deo donata non sit. Omnî
sic incredulitatis culpa in Deum recidente. Quis au-
tem toleret argumentum, tot falsitatibus primariis
implicatum?

§. 270. Redigamus argumentum in formam, ut
quid in forma responderi & possit & debeat, pervi-
deatur.

*Quicumque & rem decretam & conditionem, a qua
res decreta suspensa est, simul decernit, ille
utramque etiam simul donare decernit.*

*Atqui Deus & rem decretam (nempe salutem hu-
jus vel illius hominis æternam) & conditio-
nem (nempe fidem & sanctimoniam) a qua
res decreta (scil. salus hominis æterna) sus-
pensa est, simul decernit.*

*Ergo Deus utrumque & rem decretam & conditio-
nem,*

nem, a qua illa suspenditur (videlicet salutem & fidem cum sanctimonia vitæ) simul donare homini decrevit.

§. 271. Quis autem ex superioribus non videt, quam ambigua sit *Major* Propositio, & quanto simul eadem laboret hiatu? Quantumvis enim *a)* & *res* & *conditio*, a qua illa suspenditur, simul decernatur: tamen id, *salva relatione unius ad alteram*, fiat necesse est. Atqui vero talis conditio esse fides cognoscitur, ut sine illa salus obtineri non possit. Joh. 3, 36. &c.

§. 272. *Priorem* igitur illa *Conditio* relationem in Decreto, existentias rerum decernente, habeat oportet, quam salus quidem æterna, quæ sine ea non potest ab homine lapsa obtineri. *Priorem* igitur & ad conditionem respectum in suo Decreto habuerit necesse est, *quam ad salutem*, quæ sine ista non potest obtineri. *Illam* est medium, *hec* finis. Cum de existentibus vel extituris sermo est (hoc est, in Executione) media finem præcedunt. Jam vero Divinum Decretum circa extitura versatur. Ergo & in eodem media *priorem* relationem habent, quam finis. Nempe ad *fidem* hominis *priorem* Deus respectum habet, quam ad ejus salutem. Id quod volumus contra Absoluti Decreti Defensores. Finis Dei operantis non potest seorsim & absolute a mediis spectari, quia cum ipso fine operis rerum omnium respective optimo coincidit. (§. 95. seq.)

§. 273. *b)* Tum vero instantia infringi hæc *Major* Propositio potest ab Imperante desumpta, qui præmia militibus, strenue sese in bello pro patria suscipiendo gerentibus & omnia adminicula, nervum, commeatus & arma, sine quibus ita se gerere non possunt, simul decrevit. An igitur & *ipsa fortitudinis specimina* (hac, illa occasione) *libere* demonstranda, donare ipsis eo ipso decernit? Ut nihil simili desit, suppose Imperantem prælagire, hos, illos ex Veteranis militibus, aliunde cognita satis virtute ipsorum, officio suo non defuturos esse. Diversa militum isto-

rum

rum & hominum, gratia præveniente in integrum restitutorum, ratio non est. Utrique libertate gaudent: sed & utrique ea uti ad finem potius, quam abuti, debent, quia possunt. Nihil igitur respondere ad rhombum possunt Dissidentes, quod non ipsorum Majori Propositioni similiter obverti posset.

§. 274. c) Tecte igitur irresistibilem suam gratiam Divinam Dissidentes argumento implicant, qua fidem huic cum effectu Deus donare decernat, alteri non donare decernat, sed radicitus supra everfam. (§. 146.) Semper possibilitatem aut vires credendi cum ipso determinato fidei actu confundunt. Quod si autem ipse determinatus fidei actus (secundus) homini huic vel illi donaretur, qua determinatus, nihil ipsi libertatis veræ relinqueretur, non amplius diversa foret ipsius libertas ab equi spontaneitate, qui, bene passus & ab equite incitatus, celerius sponte currit, quocumque dirigitur vel instigatur. Ut plane adeoque perspicuum sit, de *Minori Propositione* superioris argumenti quid sit habendum? Conf. etiam, quæ supra §. 255. seqq. leguntur.

§. 275. d) Si Deus finem & omnia media conditionesque simul quidem, hæc tamen ut fine posteriora decrevit: tum elegit quosdam ex lapsis hominibus ad salutem, ut postmodum quoque credant, ut placeant in consequenti. Ita fides ipsorum igitur & sanctimonia est ipsius finis: Electio ipsorum ad æternam salutem vera fit medium Ejus ad finem. Quam ἀλογοι vero id sit, & ipsi Dissidentes persentiscunt, finem esse medium ad salutem perveniendi asserentes. (Stapfer loc. cit. §. 1180.) & nos quoque supra dilucide satis docuimus (§. 203.) Quænam ista ratio determinata possibilis esset aut ubi lateret, propter quam eo fine hos præcise ex lapsis & in eodem corruptionis luto jacentibus hominibus elegisset, ut crederent? Cur non eadem promptitudine Deus & sine eodem lapsos alios elegisse docetur? Cur non reprobos omnes?

§. 276. Fortassis ut manifestandæ Ipsius Vindicati-

va justitiæ locus quoque relinquatur? Verum, ut istud
a) jam taceam, quod justitia *Vindicativa* nonnisi contingenter Deo competat, *locum & nomen* non habitura, si nullus Deo peccator obversaretur, si nulla creaturarum rationalium sua libertate, qua, salva sapientia divina, privari non possunt, (§. 137.) abusa, vel, ut talis, prævisa fuisset. (§. 179. 180.) *Præsupponit* Justitia *Vindicativa* peccatorem, libere peccantem, atque ut talem prævisum in Decreto tractat & bonis *in Consequenti* privat, quibus mactari potuisset, hoc est, eum punit, non autem *ut talem facit*. *Absolute* autem *necessarium* dici non potest, quod Deus sub ejusmodi hypothesi eademque contingenti vult, decernit agitque. Multo igitur conatu nihil Stapferus agit, dum, Justitiam Dei *Vindicativam* Deo essentialem & respectu exercitii quoque absolute necessariam esse, vult demonstrare. Nihil enim efficit præter hoc unum, quod, *præsupposito peccatore*, libere & contingenter & contra officium peccante, Deus justitiam abnegare suam non queat, sed quod *SIBI* hoc debeat, ut, ad istam hypothesin, bonitatem suam sapienter administret. Id quod nonnisi hypotheticam necessitatem infert & facile potest cum nostro asserto conciliari.

§. 277. *b)* *Posito* autem, *non concessio*, Justitiam *Vindicativam*, qua *Vindicativam*, Deo essentialiter & absolute necessario inesse, nemo tamen non videt, *determinatam* Reprobationis *horum præcise Individuorum* rationem ab illa repeti nondum posse. Semper & heic aqua Dissidentibus hæret. Receptus ad nexum totius Universi non amplius patet. (§. 187. seqq.) Connexorum unum semper continet rationem alterius. In nexu totius igitur non potest ista ratio esse, nisi & a singulis individuis (vel *PROXIME* vel *RE-MOTE*) illa repetatur. Repeti autem non potest ab ulla ejus *determinatione* (sive interna, sive externa, sive naturali, sive supernaturali) si a libertatis abusu, qui ipsius arbitrio non potest non relinqui, discedatur. Ad hunc vero reducitur incredulitas. (§. 248.)

§. 278. Non igitur sufficit dicere: *Deum reprobos* „statui moraliter imperfecto relinquere, omnibusque inde „fluentibus malis physicis, quibus homo propria culpa „per libertatis abusum immergatur. Cur enim non plures illi statui relinquit? Cur non pauciores? Cur hos præcise? non alios? Lapsorum hominum æqualis corruptio est omnium. Unum ab altero hominem illa generatim non distinguit. Determinata igitur Ratio Reprobationis hujus vel illius hominis esse illa non potest.

§. 279. „Sed Deus aliquid velle potest, cujus rationes nobis sunt incognitæ. Hinc mirum non est, si „rationes particulares, cur Deus hoc vel illud decreverit, plurimum nos latent. Ad hoc enim sciendum opus „est cognitione relationis cujuslibet rei ad totum universum & omnia attributa. (Stapf. l. c. §. 1208.)

a) Demus quidem primo, rationes Decreti Divini *particulares* nos ut plurimum latere respectu plurimorum eventuum; omniscios enim nos esse oportet: *modo illæ dentur!* modo Divinum Decretum non sit ab illis rationibus & earum antecedanea consideratione solutum! Si *imperscrutabile* ita *quadantenus* est Divinum Decretum, ideo tamen absolutum & rationibus objectivis sufficientibus atque determinatis destitutum non est.

§. 280. b) Tum vero a *particulari ad particulare* nunquam valuit consequentia. Non licet igitur concludere: Divinum Decretum quoad *hanc illamve* partem, quoad *hunc illumve* eventum, est inscrutabile. Ergo & quoad *alteram* partem - - Ergo & quoad decretum salutis ordinem ignotum est. Ergo & quoad conditionem & rationem determinatam, propter quam hic homo ad vitam æternam eligitur, alter autem in sua miseria relinquitur & ad æternos cruciatus destinatur, nobis occulta & impervia manet. Distincte enim satis supra docuimus, quod determinata hæc Electionis & Reprobationis ratio objectiva *non generalissime* solum, sed & *specialius* cum attributis divinis

collata & de singulis individuis generatim vera indicari possit, licet illa respectu *gradus ac mensuræ* vel & *circumstantiarum externarum* earumque *individualium, temporis, & loci*, mirum in modum in singulis individuis variet, & quoad *Individualia hæc* a nobis omnino, *nisi generatim*, indagari & explicari non possit. (§. 250.) Sed nec *debet* explicari. Sufficit enim, rationem objectivam ac determinatam in sese, *abstracte* consideratam, plane nobis cognitam esse, & quia tanquam conditio, sine qua salus obtineri non potest, ad officium quoque nostrum pertinet, cognitam esse debere. Differat illa in *Concreto* spectata ratione *modi & gradus & temporis & loci*, quantum solet. Ista omnia scrutari nobis datum non est. Verum non pertinent ad *rem ipsam*, sed ad *eius modos*. Determinationes *rei individuales* veritatem & eius considerationem *generalem* neque excludunt, neque impossibilem reddunt.

§. 281. In promptu igitur limitatio est, superiori argumento adhibenda:

Ad quascunque rationes particulares (individuales) sciendas opus est cognitione relationis cujuslibet rei ad totum universum & ad omnia divina attributa, illæ plurimum nos homines latent.

Atqui ad rationes particulares, cur Deus hoc vel illud decreverit, (hunc vel illum hominem præ cæteris elegerit) sciendas, opus est cognitione relationis illius (rei, vel hominis) ad totum universum & ad omnia divina attributa.

Ergo rationes rerum decretarum particulares (singulares, individuales, maxime, cur Deus hunc hominem præ aliis ad vitam æternam elegerit) plurimum nos latent.

Scilicet a) limitatur *Major Propositio*: Ad quascunque rationes particulares (& qua rationes sunt rerum, & qua *particulares* seu *singulares & individuales* sunt) sciendas opus est cognitione relationis rerum
ad

ad totum universum & ad omnia Dei attributa, illæ nos plurimum latent: transeat *Major*, negatur *Minor* Propositio quoad *priorem* limitationis partem. Nimirum fides ipsa, *abstracte* & in sese considerata *determinate* nobis, tanquam *unica* & *universalis* ratio Electionis horum quoque & illorum hominum innotescit: sed illud cognitionem *hanc* nostram excedit, *quando* & *qua occasione* vel *invitatione* hic, ille homo ad fidem perveniat? quo *gradu* fides ipsius confirmetur? *quousque* crescat? an *perduratura* sit ad ultimam usque mortis horam? Scilicet, ubicunque vult, *Ventus* fiat & sonitum ejus audis: sed, unde veniat? & quorsum pertingat? nescis. Ita vero est omnis ex sanctiore spiritu natus. Joh. 3, 8. (§. 250.)

§. 282. *b*) Magna etiam Voci (*particularis*) ambiguitas intruditur. Quod respectu finis omnium ultimi *particularis* vel *rationis* vel *medii* nomen gerit, illud, respectu inferiorum & ultimo fini subordinatorum finium, *generalis* & *universalis* (*in suo genere*) rationis & *medii* naturam & nomen induit. Hujusmodi ratio *particularis* est fides, quæ in suo genere in ordine salutis æternæ consequendæ est *universalis*, utpote omnibus lapsis, qui recuperare amissam vitam gestiunt, indispensabiliter (vocabulo veniam!) præscripta. Ita nexus totius mundi potest *generatim* quoque considerari. Et ex ea consideratione res quælibet relationem ad alia connexa quoque *generalem* habet, cujus determinata ratio sæpe plana & obvia est & in causa salutis esse debet.

§. 283. Unde & isto argumento nihil plane pro absoluto Dei Decreto efficitur, quando male ratiocinando Dissidentes pergunt: *Ratio generalis, cur*
 „Deus hanc rerum seriem atque nexum & mundum cum
 „omnibus ejus partibus potius sic, quam aliter, produ-
 „cere decreverit, hæc est, quod illum fini suo sic con-
 „venientissimum judicavit. Cum vero omnes rationes
 „speciales resolvantur in generalem: hinc etiam in sin-
 „gulis mundi partibus eadem rationes singulares obtinent,

„nempe major cum fine ultimo convenientia. Hinc si
 „queratur de hoc vel illo individuo, de Petro, Paulo,
 „vel alio, cur Deus illos potius ad Gloriam, quam
 „vero alios, destinaverit? non aliter ac de universo
 „Systemate responderi potest, nempe, quia fini divino
 „convenientius fuit, hoc vel illud individuum eligi,
 „quam reprobari. Ratio ergo objectiva Decreti est con-
 „venientia rei cum fine. Cum testante Sacra Scriptura
 „nihil, ratione bonorum spiritualium, hominem unum
 „ab altero discernat, & nihil habeant, quod non ac-
 „ceperint, neque propterea gloriandi causam quisquam
 „habet. 1. Cor. 4, 7. neque quisquam præcellit, sed
 „omnes aequæ sub peccato sunt & in eodem corruptio-
 „nis luto hærent. Rom. 3, 9, 23. c. 11, 32. Hinc nulla
 „ratio particularis vindicari potest, cur Deus hunc
 „potius hominem salvare decreverit, quam vero alium:
 „sed in ratione generali subsistendum est.

§. 284. In nervum si compingatur omne hoc ra-
 tiocinium, hoc esset:

Ratio generalis mundi & omnium ejus partium
 est convenientia earundem cum ultimo fine.

A. Rationes particulares omnes resolvuntur in
 generalem.

E. Nulla ratio particularis indicari potest, cur
 hoc vel illud ita sit, sed in generali ratione
 subsistendum est, nempe in convenientia rei
 cum fine.

Quis ferat ita ratiocinantem? *Negative*, adeoque
 & *plus justo*, ex affirmativis propositionibus inferen-
 tem? Illud quidem ex præmissis affirmativis *affir-*
mative concluderetur. Ergo & rationes rerum par-
 ticulares resolvuntur in generalem, nempe conve-
 nientiam earum cum fine. Non autem *negative* istud:
 Ergo nulla prorsus alia ratio specialior hujus vel illius
 rei indicari potest. Ergo hæc convenientia cum fine
 ultimo sola & unica *dabilis* ratio est. Hoc quidem ex
 præmissis non consequitur. Unius rei plures possunt
 esse

esse rationes, quarum una semper determinatio altera esse & cognita vel cognoscibilis esse potest.

§. 285. Si mitius ista quidem sint proponenda, altera certe manu eripiunt, quod altera tamen dedisse videntur. a) *Primo* enim evincunt, rationes particulares seu singulares omnium mundi partium resolvi in generalem, scilicet, majorem cum Gloria Dei, tanquam ultimo rerum fine, convenientiam. Sed statim rationes illas particulares judicari non posse inferunt istiusmodi medio termino, qui efficit, etiam *eas plane nullas in objecto dari*. Etenim nullam rationem particularem, cur Deus *hunc* potius hominem salvare decreverit, quam vero *alium*, indicari posse urgent ideo, *quia nihil, ratione bonorum spiritualium, hominem unum ab altero discernat, quia nemo præcellat, quia omnes æque sub peccato sint & in eodem corruptionis luto hæreant*.

Quemcunque, ratione bonorum spiritualium, nihil ab aliis discernit: Quicumque nihil spiritualis boni præcipui habet, sed æque cum aliis sub peccato est & in eodem corruptionis luto hæret, circa eum nulla particularis ratio, cur *præ cæteris æqualibus* ad salutem & gloriam eligatur, neque a *nobis homuncionibus neque ab ipso Deo* indicari potest, quia sic nulla datur.

Atqui ex lapsis hominibus Petrum, Paulum, alios nihil ab aliis in spiritualibus discernit: nihil hi spiritualis boni præcipui habent, sed æque cum aliis sub peccato sunt & in eodem corruptionis luto hærent.

Ergo & de Petro, Paulo & aliis, cur præ cæteris æqualibus ad vitam & gloriam æternam sint electi, neque a nobis homuncionibus, neque ab ipso Deo particularis ratio potest indicari.

Quænam igitur & unde est major illorum cum fine & intermedio & ultimo (eos ad gratiam ac salutem

tem eligendi) convenientia? Et a quam hominis determinatione erit repetenda, si non a *spirituali ac supernaturali*? An igitur a *naturali* quadam hominis determinatione? Viderint, quam prope a *crasso Pelagianismo* absint ista docentes, quem tanto tamen studio devitare volunt videri & nobis toto die imputant. In nostra quidem Expositione difficultatem res nullam habet, quia *præveniens gratia in integrum restituit omnes*, ut *Gratiæ Divinae* (vel *mediate* vel *immediate*) *possint non-resistere*, ut *possint mediis pedagogicis ad Gratiam convertentem &c. rite uti atque ita ulterioris Gratiæ majorumque bonorum spiritualium capaces fieri.*

§. 286. b) Tum vero major cum fine ultimo, nempe Gloria Dei, convenientia, vel ideo non potest esse determinata *Electio*nis hujus vel illius hominis ratio sufficiens, quia finis *Reprobationis*, ex Doctrina Dissidentium, non est ab hoc ipso diversus. Vaga autem adhuc & indeterminata ratio est, quæ & *Electio*nem & *Reprobationem* ejusdem hominis *equaliter* suadet. Non cohærent igitur istæ propositiones idoneo nexu: Generalis totius mundi objectiva ratio est major cum fine ultimo, h. e. Gloria Dei, convenientia. Omnes autem particulares & singulares rerum rationes resolvuntur in illam generalem. Ergo de singulis mundi partibus, de singulis individuis, *NON ALITER AC* de universo Systemate responderi potest, nempe quia convenientius hoc fini divino est, quam aliud, quia convenientius est, hoc individuum eligi, quam reprobari. Plus enim manifesto est in Conclusionem, quam in Præmissis. An hoc est demonstrando scientificam methodum imitari?

§. 287. Aliud pro *absoluto Dei Decreto* (speciali sensu accepto) argumentum (§. 206.) supra occupavimus, quod a fidei dono desumunt Dissidentes, „utpote *quod prævidere in homine non possit Deus, antequam id ipsi largiri decreverit.* Illud igitur hoc loco in formam redactum breviter diluemus. Ita vero haberet: Quic.

Quicquid est donum Dei & ex Decreto Ipsius demum fluit, illud Deus non prævidere potuit in ipso Decreto suo.

A. Fides & Sanctificatio tota Dei donum est & ex ipso Decreto Divino demum fluit.

Ergo fidem & sanctificationem hominis Deus non prævidere potuit in ipso Decreto suo.

Scilicet a) *Major* Propositio ipsissimus variarum æquivocationum nidus est. Eam igitur limito: Quicquid est donum Dei & ex Decreto divino fluit, quoad *existentiam* & in *executione* spectatum, illud Deus non prævidere potuit vel antecedenter ad Decretum vel in suo Decreto, tanquam *possibile* & sub hac vel illa conditione futurum. Ita *negatur* hæc *Major* Propositio.

§. 288. b) Iterum limito *Majorem* Propositionem: Quicquid est donum Dei & ex Decreto divino demum fluit, ita quidem, ut etiam *determinatio* ejus five *determinata* existentia Deo sit tribuenda & nihil plane homini & ejus officio relinquendum, illud ante illius largitionem non prævidere potuit Deus. Transcat ita *Major* Propositio: sed *Minor* falsissima est. Fides Dei donum est, sed non qua *determinatum*, non, qua *determinatus* hic actus credendi est, sed qua *vires* credendi. Fides in Concreto, seu fides hujus vel illius hominis est *determinatio supernaturalis & spiritualis*. Donum illa divinum est, quatenus est *supernaturalis & spiritualis*, quatenus adeoque illius *materiale* spectatur: sed divinum illa donum *nec est*, nec *esse potest*, quatenus est *libera determinatio* hominis, *formaliter* adeoque considerata. (Conf. §. 139. & 206. & 208.)

§. 289. c) Qui omnia possible, futura & futuribilia præscit Deus, ille & prævidet, quid Ipse ad manifestandas perfectiones suas sit factururus: sed & prævidet, quid officii liberis creaturis, in his vel illis circumstantiis existituris, incumbat? & an, quod conveniens est, acturæ sint? an minus? Et sic prævisis & ponderatis omnibus decernit. *Plures* igitur

in Deo *decernendi actus* cogitant, qui Eum ita concipiunt, primo finem (*separato actu*) decernentem & postmodum (*alio consequenti actu*) media pro lubitu, ex mero beneplacito, decernentem ac facientem: vel applicate: qui Deum cogitant ut primo his vel illis hominibus vitam æternam decernentem & postea demum de mediis, eo facientibus, dispicientem. Meminisse autem oportet, finem Dei cum optimo rerum usu seu fine operis coincidere. (§. 95. seqq.)

§. 290. Eadem responsione coincidit, quod addunt Reformati: *Cum fides ipsa sit inchoatio aternæ salutis. Jesaia c. 53, 11. coll: Job. 17, 3. adeoque non aliquid ab illa distinctum: propterea etiam dici nequit, Deum homini consummatam salutem decrevisse, quia decreverit ipsi conferre initium ejus: sive Deum homini ideo consummatam vitam decrevisse, quia prævidit, se illi daturum vitæ illius initium, b. e. fidem. Sed non dat homini neque fidem neque salutem absolute, sine ordine. Gratia non agit irresistibiliter. Quoties hoc dictum est a Nostris? & inculcatum? & demonstratum? (Conf. §. 206. & 208.)*

§. 291. Plura igitur non addam. Solide ab aliis ostensum est, a) & Sacram Scripturam neque Matth. 11, 26. neque Eph. 1, 5. neque alibi beneplacitum Dei docere, quod ratione objectiva a priori destitutum esset: & b) determinatam futurorum contingentium conditionem stare posse cum infallibili præscientia Dei & humanarum actionum libertate, neque c) necessitatem his *ullam* inferri a præscientia Dei aut Ejus immutabili Decreto.

§. 292. Videamus, queis argumentis *particularem* Gratiam etiamnum adstruere conentur Reformati? Generalia nulla habent a priori directe concludentia. Indirecte sic argumentantur: *„Frustra fit, quod nullo sine fit, aut quando media ad finem intentum non du-
cunt. Quamobrem cum sapiens agat propter finem & media eligat ad illum ducentia, Deus vero fit sapientissimus: etiam nihil facit frustra. Et cum Deus nihil fa-
ciat*

„ciat frustra: hinc etiam nulla in Decreto de hominis salute potest ordinare media, quæ non ducunt ad finem illum, quem intendit, nempe hominis salutem. Si vero Deus intenderet omnium & singulorum hominum salutem, & propterea media, nempe largitionem Gratiæ Universalis, ad finem illum obtinendum ordinaret, & tamen finem ratione magnæ hominum partis non assequeretur, quem tamen universaliter intendit, sequeretur Deum agere frustra: quoniam talia ordinaret media, quibus finem non obtinet. Cum vero prius falsum est, etiam posterius falsum est. Hinc etiam medium Liberationis non latius patere potest, quam salus hominum per illud parata & intenta. Stapfer loc. cit. §. 1186. seqq. Spizius in Tractatu Germ. (Evangelische Lehre von der nicht allgemeinen Gnade) qui primo loco hanc rationem ponit. Argumentum in forma sic haberet:

Qui finem serio intentum mediis suis, illi subordinatis non obtinet, ille agit frustra.

Atqui Deus intendit (serio) omnium & singulorum hominum salutem & propterea media (nempe largitionem Gratiæ Universalis) ad finem illum obtinendum ordinat & finem tamen ratione magnæ hominum partis non assequitur, quem tamen universaliter & serio intendere dicitur.

Ergo Deus agit frustra.

Conclusio absurda est. Falsa igitur est vel major vel minor Propositio. Non Major, ex mente Reformatorum. Sapiens enim nil agit frustra, h. e. sine fine, vel cujus media ad finem, quem intendit, non ducunt. Absurditatem igitur in Minorem Propositionem devolvunt, & securi concludunt: „Liberationis medium non patere latius, quam ipsa salus hominum per illud parata & actu obtenta.

§. 293. At nobis varie Major Argumenti Propositio fallere semper visa est. Confundit enim aperte a) intentionem finis, respectu voluntatis antecedentis, cum intentione ejusdem, respectu Voluntatis Con-

sequentis, considerati. Universalem omnium hominum salutem Voluntate Consequenti & Decretoria Deum intendere nemo Nostrum dixit aut defendit unquam. Ne illi quidem, qui *universalem Electionem* defenderunt.

b) Tum vero sapiens, ubi cum liberis agentibus ipsi res est, saepe aliquid intendit & idonea iis media suppeditat, quibus obtineri finis intentus posset, si officio suo libere agentes deesse nollent, etiamsi certo praesentiat, respectu *omnium* se suum finem intentum non esse obtenturum. Sic Imperans vel sapientissimus leges fert, quas tamen non ab omnibus servatum iri praevidet. Facit interim, quod suum est, ut ipse sit extra culpam. Ergo tamen sine fine & frustra non agit. (§. 259) Conf. Magn. Canc. Pfaff. Vindictae Sanct. div. contra Praedeterm. Dei ad Pecc. Phys. p. 42. & B. D. Weism. in disp. de Tortura finium Creat. in Syst. Partic. §. 7.

Scilicet

c) „*Possunt praeter effectum ultimum, ACTUALITER obtinendum, adhuc alia Deum movere rationes, quae, effectu ultimo non obtento, sapientia Dei dignae sunt. Interest Dei causa, ut pateat, in bona sua & seria voluntate nihil defecisse: non habere causam frustrati effectus penes seipsum: homines fieri inexcusabiles; quod utique locum non haberet, si Deus eos suis beneficiis eo pertinentibus, pro eorum capacitate & circumstantiarum ratione non praevenisset. Haec plana sunt & liquida, nec tamen adversariis nostris placet, quia ledunt nexum ipsorum Systematicum. l. cit. p. 17.* Quibus addi possunt, si grave non fuerit,

d) quae pridem Johannes *Museus* in Colleg. Anti-Wendeliniano p. 322. monuit: „*Si a Dei sapientia alienum non est, instituere causarum secundarum & mediorum ordinem, ea lege, ut causis secundis in agendo deficientibus non obtineatur finis intentus, neque alienum erit ab ejus sapientia, frustrari se sine perpotentiam ORDINATAM intento.*

§. 294. *Indirecte* etiam Reformati hodiernum pro sua particulari Gratia pugnant, dum nostræ de Universalis Gratia Doctrinæ sequelam *Pelagianismi* vel *Semi-Pelagianismi*, non sine fiducia, exprobrant, hoc maxime argumento:

Quocumque supposito ad nostram Voluntatem & vires nostras proprias redit totum negotium salutis, eo ad *Pelagiana* vel *Semi-Pelagiana* principia delabendum est.

Atqui supposito, Deum non solum neque per operationem Gratia irrefistibiliter efficacem, totam nostram Conversionem & reliqua perficere, ad nostram voluntatem & vires nostras proprias totum salutis negotium redit.

Ergo ad principia *Pelagiana* vel *Semi-Pelagiana* delabitur, qui ita docet vel supponit.

§. 295. Sed *Minor* falsissima Propositio est. a) Argumento enim supra ostendimus, quod Gratia Præveniens in omnibus lapsis omnis novi boni spiritualis initium faciat, omnes in integrum restituendo, vel *naturalem* resistantiam in omnibus tollendo atque omnes ita lapsos ad gratiam ulteriorem præparando, si suo quidem officio non defint, & quam acceperunt, gratia rite, ut possunt, utantur. Omnis igitur consensus Voluntatis humanæ in hoc negotio salutis cum Voluntate Dei non est ex natura, sed ex gratia originarie. (§. 243. seqq.)

b) Resistibilitatem vero Voluntatis humanæ, quam ea divinæ Gratia & vocationi opponere potest, Scriptura sacra tam perspicue tradit, ut nihil, quod momentum trahat, contra afferri possit. Neque *Driesseni*, neque *Spizius* novi heic quicquam apponit. Conferantur quoque, si placet, quæ B. D. Weismanus ad novissimas *Honertii* exceptiones respondeat in *Institt. Exeg. Dogm.* p. 782. sq. Loc. XI. Heic igitur coram iudice intelligente priora repetimus. Etiam

c) Nunquam, quod satis esse posset, respondent ad ista nostrorum argumenta, *irrefistibilem* Gratia operationem evertentia.

N. *Si operatio DEI etiam in ordine Gratiaē semper est absoluta & irresistibilis: tum omnes electi statim a prima infantia sanctificarentur & sanctificati manerent ad finem usque vitæ sine peccato & relapsu. Nullam hic inveniret resistantiam vel resistibilitatem.*

Atqui posterius notorie est falsum, & ideo quidem falsum, quia Deus secundum certum ordinem moralem, ista omnia in Electis quoque operatur. Ergo & prius a veritate alienum est. Ergo & Deus non operatur pro absoluta & irresistibili potentia in illo homine tantum Conversionem & Sanctitatem. Atque iterum:

2. *Aut primum Peccatum Deus fieri voluit, aut noluit.*

Si voluit: tum Deus ejusdem causa & adprobator est; quod est notorie absurdum.

Si noluit illud fieri: tum id exsequi voluit per potentiam vel ordinatam vel irresistibilem.

Atqui per irresistibilem potentiam id exsequi noluit. Alias peccatum primum certo certius fuisset impeditum.

Ergo voluit id exsequi per potentiam ordinatam, per modum agendi ordinatum. B. D. Weism. cit. Disp. p. 16. §. 7.

§. 296. Unde Clar. Stapferus l. cit. §. 577. seqq. mavult quidem, nobiscum docere, quod Deus malum „morale decreverit: & quod tamen hoc impedire non „luerit absolute, sed potius permittere decreverit, ob ra- „tiones urgentissimas & sapientissimas, ne ex hoc mundo „simul connexæ perfectiones auferantur & excludantur: sed in applicatione ad hominis Conversionem generalium enunciatorum, quæ in speciali hoc continentur, obliviscitur, & gratiam defendit nonnisi cum effectu irresistibili operantem. Adeoque difficultatem istam nec tollit nec devitat. Si in uno casu irresistibiliter Gratia divina operatur, cur non in altero? cur non in omni? cur non in homine primo? Turpius ejicitur, quam

quam non admittitur hospes. — Conf. Musæus in Coll. Controv. p. 320. & B. D. Weismann in Sched. Acad. 3. p. 386.

§. 297. Distincte autem satis ex nostro hoc Tentamine apparet, cur nulla ejusmodi irresistibilitas Gratiæ Operationis (quoad actus *secundos*) creaturis intelligentibus atque liberis *in genere*, adeoque & in hominibus in specie locum habere queat. Nihil scilicet creaturis rationalibus (adeoque & liberis) totius actionis, quæcunque sit, remaneret, si & quoad *actus secundos*, *formaliter* tales, divina esset, si & actum secundum, *formaliter* talem, gratia divina operaretur si non solum vim agendi bona donaret, sed & eam ipsa operatione sua determinaret, ut nihil plane officio & libertati Creaturarum rationalium relinquere-tur, qua tamen, salva sapientia Dei, non potuerunt privari. (§. 137.) Inde intelligitur, putem, cur malum morale permittere satius ducat divina sapientia, quam id *absolute & potentissime & irresistibiliter* impedire? & cur liberas creaturarum suarum actiones, *ut tales*, decernat atque existere jubeat, Decretoque suo immutatas relinquat? Qui enim liberam actionem nec determinat, nec prædeterminat, Deus, ille nec irresistibilem Gratiam confert, quoad actus *secundos*, *formaliter* consideratos. *Materialiter* enim ex Gratia Dei est, quicquid boni sumus vel habemus vel agimus. 1. Cor. 15, 10. Quod autem *meliores* non sumus, quod *plura* bona non possideamus nec agamus, id a nobis est atque in Deum absque injuria transferri non potest. (§. 146.)

§. 298. Et quum porro destitutos homines Gratia in integrum restituens, quoad actum bene operandi primum, restituat omnes: nihil omnino probare possunt dicta Scripturæ sacræ, quæ à Dissidentibus pro particulari Gratia Divina afferri solent, in ordine ad Gratiam, sive ad æternam salutem. Unde firmo nituntur talo omnes nostrorum, quæ Caput nonum Epistolæ ad Romanos ac similia Scripturæ sacræ

cræ dicta explicant & contra Particularissimum defendunt, responsiones ac limitationes, ut precaria sint & ἀρεφα & ἀλογα, quæcunque heic Dissidentes effingunt ad servandam Distinctionem, quam inter genera *singularum & singulos generum*, inter voluntatem divinam *signi & beneplaciti, revelatam & arcanam, externam & internam, præcepti & Decreti* teneri volunt Dissidentes. Perinde ac si Scenica istiusmodi actio Dei, *etiam in Ecclesia*, Deo indigna non esset. Perinde ac si fundamentum idoneum allegare possent Dissidentes, quo evinceretur, etiam in *ODIOSIS*, etiam in causa damnationis hominum horum illorumve Deum arcanam habere voluntatem, quæ ut voluntas beneplaciti differat ab ea, quæ externa est, quam signo & prædicatione Evangelii præ se fert universaliter injuncta. Perinde ac si vel *unicum allegare exemplum* possent, in quo vel *absolute*, vel *irresistibiliter* vel *sine medio Verbi Spiritus Sancti Gratia Conversionem* fuisset operata! Perinde ac si *Conversio hominis extraordinaria* daretur etiam respectu Gratia Divinae operantis aut respectu medii, nempe verbi. Temere id quidem sumitur & sine argumento cogitatur. Etiam Paulus extraordinario modo excitatus ad *ordinarium* tamen Conversionis & fidei *medium*, nempe Evangelii verbum, fuit ablegatus. Act. 9, 6. seqq. Circa *MODUM & VIAS* excitandi homines multa in multis singularia obtinere, nemo ibit inficias.

§. 299. Formidabile, quod putant Reformati, etiam Recentiores, Anton. Driessenius (in der erwiesenen, erläuterten und vertheidigten Lehre der besondern göttlichen Gnade) & Spizius (in seiner Evangelischen Lehre von der nicht allgemeinen Gnade p. 170.) & alii contra universalem Gratiam Dei & consequenter pro Particulari Gratia concludens argumentum a *Defectu Executionis Divinae intentionis universalis* desumunt, agentes:

Qui finem vult universaliter intentum obtinere, ille etiam vult media ad eum obtinendum necessaria, maxime si ea omnia in manu sua habet, si nihil ipsi impossibile & invium.

Atqui Deus media omnibus & singulis imo innumeris nec vult dare nec confert, quæ ad salutem ipsos ducere possent; uti Christus omnibus & singulis non mittitur: Matth. 15, 24. cit. uti omnibus non donatur Verbi præconium, fides & pœnitentia. Ps. 147, 19, 20. Matth. 4, 16. Act. 14, 16. Rom. 10, 13. Ephes. 2, 11, 12. 1. Petr. 2, 8. 1. Thess. 5, 9. Rom. 9, 11, 12, 13.

Ergo DEUS etiam non vult voluntate generali omnium & singulorum salutem, sed duntaxat quorundam.

§. 300. Verum (ut solidas aliorum responsiones ad *Minorem Propositionem* datas jam non repetam expresse, graves profecto illas, neque pro merito & momento a Dissidentibus hucusque ponderatas) quis Reformatorum vel probavit unquam, vel probare ausus est, quod facientibus, quod in se erat, Deus tamen ulteriorem gratiam & pædagogicam & postmodum Convertentem & Salvificam denegaverit unquam? Ad veram Ecclesiam etiam Gentiles olim & hodie perventuri fuissent omnes, si fecissent, quod in se erat, si rite gratia præveniente fuissent usi, qua in integrum restituti fuerunt omnes.

§. 301. An igitur homo ipsum sese & ad gratiam & ad salutem discernit? dum facit, quod in se est, atque ita ulterioris gratiæ fit compos? Vere & candide hoc nobis quidem obverti amplius non potest, postquam supra demonstravimus, etiam hoc omne primum boni initium gratiæ divinæ deberi, homines omnes (quoad actum operandi primum) in integrum restituenti. Etiam ut homo Gratiæ non resistat, quæ ipsum convertere instituit, etiam, ut mediis pædagogicis ad Gratiam Conversionis bene ac rite & cum salutari effectu ac

diffe.

differentia uti possit & velit, id omne prævenienti Gratia divina acceptum refertur. Der Mensch muß die potentiam non resistendi Gratia von der Gnade haben, die ihn prævenirt, und das Werk der Bekehrung hernach in ihme allein ausführet. Er concurrirt aber mit denen actionibus pædagogicis nur remote zu seiner Bekehrung, nicht proxime. Conf. Magn. Cancell. Pfaffii Academische Reden über die Theol. Dogm. N. 14. p. 124. §. 5. Aliter gratia divina præveniens non esset PRAEVENIENS, sed demum ADVENIENS, hoc est, antecedaneo recto mediorum pædagogicorum usu ACCEDENS ac SUPERVENIENS, quæ tamen ex divina cum hominibus agendi ratione *Præveniens* esse debet. (§. 243. seqq.) Id omne quidem ex supra dictis plane intelligitur. *Secundi* actus boni non cogitari possunt sine *primo*, in quo rationem suam habent *omnes*. Actus autem *primus* sine dubio *positivus* &, qua in integrum restitutus, post lapsum a gratia est, quocunque *hæc* nomine insigniatur. Omnes igitur actus *secundi* hominis lapsi, sed in integrum quoque restituti, sunt determinationes ejusdem *supernaturales* & *spirituales*, &, qua tales, sine dubio sunt ab actu *primo*, in quo rationem habent, repetendæ, five *mediate*, five *immediate*, five *remote* & *pædagogice* five *proxime* ad ipsius Conversionem pertineant. Sed *quæ* determinationes, qua *determinate* tales ac tales actus sunt, quatenus *hoc gradu* præcise Conversionis negotium in homine consistunt atque restringunt, eatenus, ut sæpe inculcatum, nec homini vere denegari, neque Deo satis digne tribui possunt. §. 208. & 146. Conf. si placet, S. V. Canzium, Præceptorem nostrum colendissimum in tom. 2. Ul. Philos. in Theol. P. 1. c. 3. §. 51. seqq. & §. 115.

§. 302. Nec Pelagianum, nec Semi-Pelagianum est, docere: hominem a gratia præventum, & in integrum restitutum, virtute & justo usu hujus gratia, & faciendo, quod ita in se est, sese ad gratiam (ulteriorem puta, convertentem, justificam, sanctificam, salvifi-

salvificam) discernere. Ita quidem lubentius cum S. V. Præceptoribus meis doceo, „ quia facile ex male in-
 „tellecta phrasi (MERE PASSIVE SE HABERE)
 „falsæ ideæ de Conversione oriri possunt apud imperitos,
 „quasi otiosi debeant expectare operationes gratiæ con-
 „vertentis ejusque præstolari effectum, etiamsi sua ex par-
 „te nihil agant; quod utique pestilens esset in praxi judi-
 „cium. Vid. Chemn. in LL. Theol. ubi maxime pericu-
 „lum hoc urget. Propositio ista (hominem in Conversione
 „se mere passive habere) tota viribus propriis opposita est
 „& jactationi vanæ liberi Arbitrii in spiritualibus EX-
 „TRA GRATIAM Dei, non vero operationibus Gra-
 „tiæ in debito suo ordine & relatione consideratis. Vid.
 & cætera, quæ in rem hanc respondet atque urget B.
 D. Weismannus in Instit. Theol. Exeg. Dogm. Loc. XI.
 p. 780-782.

§. 303. Intra sinum Ecclesiæ Dei certe iisdem ver-
 bis & sine discrimine Christus & Apostoli Ejus allocu-
 ti sunt integros cœtus, atque in iis bonos & malos,
 & quidem cum obligatione credendi & comminatio-
 ne pœnarum divinarum, nisi crediderint & obedive-
 rint. Idem fit in continuatis his præconiis, Dei no-
 mine, sine ullo discrimine reproborum & electorum.
 Unde hunc modum docendi, ex hypothese gratiæ parti-
 cularis, prorsus hypocriticum & indecorum Deo &
 misere scenicum semper dixerunt Nostrates & etiam-
 num ingeminant.

§. 304. Spizius quidem (loco cit. p. 173. seq.)
 quatuor rationes affert, cur electos & reprobos pro-
 miscue vivere sinat Deus: verum illæ quidem hanc
 difficultatem neque tangunt neque tollunt. Non
 enim status Controversiæ verus hic est. Id potius quæ-
 ritur: Cur Deus in PRAECONIO VERBI SUI
 nullum discrimen observet inter reprobos & electos, si veræ
 est gratiæ particularis sententia? Statue jam, L. Bene-
 vole! an pro responsione idonea sufficiat dicere:

a) Quia officium pœnitendi seque convertendi æque
 ad illos, quam ad hos pertineat? An Evangelium rea-

reprobis saltem *ut officium* & quidem, ob denegatam gratiam *impossibile*, proponitur? Annon omnibus auditoribus *eodem modo* proponitur? annon iisdem motivis, promissionibus &c. additis? Annon manifestata *contrarietas* est inter voluntatem *signi & beneplaciti*, si aliud intendit Deus? An duplex est in Deo volendi actus? An cum divina iustitia conciliari hoc posset, si, quos in Adamo primo peccatores fecit Deus, in Adamo secundo, quod posset, *non* tamen restitueret *omnes*, absque idonea quidem & determinate sufficienti ratione objectiva, ab ipsis individuis repetita, & tamen a derelictis hisce *officium* credendi in Christum exigeret, quod ipsis, absque illa, ipsos in integrum restituyente, gratia, adeoque non propria culpa, sed propter denegatam hanc gratiam necessariam, impossibile esset.

§. 305. *b)* Sed Reprobi forte (ita Spizius pergit) „per Verbum Dei ad minimum ad disciplinam quandam rediguntur, qua honestam agere vitam possunt, ut electi eo securius inter ipsos vivere, atque eo tranquillius Servatori suo vivere possint? An vero & hæc ratio quicquam probat? An ideo Deus in præconio Verbi nullum inter reprobos & electos discrimen facit? Annon sola ratio sufficeret ad honestatem vitæ in reprobis efficiendam? Annon Verbum Dei *eodem modo*, quo electis *eodem & reprobis quoque*, & *alia longe & plura*, quam vitæ honestatem, prædicat? Quo fine plura? An *reipsa* aliquid prodest Evangelium reprobis prædicatum? An heic de eo, quid electis conducatur, agitur? Minime vero! At

§. 306. *c)* Sæpe reprobis Deus utitur ceu instrumentis suos vel castigandi vel bonum ipsorum promovendi? De quo nemo quidem quæstionem movet. Quodsi per instantiam quis responderet! Locustis Deus sæpe, uti elapso anno & hodiernum adhuc utitur ceu instrumentis, suos castigandi & preces ipsorum acuendi & bonum adeoque ipsorum promovendi. Igitur & inter Locustas & inter electos suos Deus in præconio
Verbi

Verbi sui nullum discrimen facit aut observat. Quid esset de ratiociniis ejusmodi statuendum?

§. 307. *d) Electi tamen ad gratitudinem eo majorem excitantur, si miserum reproborum statum, suam vero ex eo liberationem perspiciant. Verum an inde Conclusio sequitur: Ergo Deus in præconio Verbi sui discrimen Electos inter & reprobos non est, cur faciat? Annon ad hunc usum magis prodesset, si viderent fideles, quod & mali pereuntes ad eandem felicitatem sint vocati, eam vero sua culpa a se rejecerint? Annon exinde multum imminueretur reverentia & materia laudum, quas alias Deo quam lubentissime exhiberent fideles, si viderent, Deum cum reprobis, ex mero arbitrio tam duriter agere & gratiam ipsis eandem annunciandam curare, quam tamen illis largiri non decreverit? Ista omnia quidem in Systemate Particularistico semper regurgitant, impossibilia prorsus concoctu.*

§. 308. *Extra Ecclesiam vero divinæ nobis viæ determinate ac specialissime non sunt cognitæ omnes. Verum an inde sequitur, quod Dissidentes volunt atque cogunt? An ideo Deus omnes extra Ecclesiam ad damnationem reprobavit, quibuscunque prædicatio Evangelii in persona propria non contigit? Et an per absolutum Decretum? Asylum hoc non est ignorantæ, quo Gratiam nostram universalem fuga servamus. Generatim quippe pro certo scimus, quod, qui ad Evangelii præconium & Christi cognitionem atque fidem in Ipsum non perveniunt aut pervenerunt, gentiles (præveniente gratia in integrum restituti omnes) non faciant fecerintve, quod suum erat, non bene ac rite utantur vel usi sint sua libertate, quod potuissent ac debuissent in ordine ad media pædagogica. Id enim a priori cognovimus, quod Deus facientibus, quod in ipsis est, ulteriorem gratiam non deneget unquam. Et Verbum Dei hoc de Consilio consentit. Act. 10, 34. 35. Quis autem omnes Dei rationes agendi specialissimas extra Eccle-*

fiam circa singula individua a nobis cum ratione postulet? „*Varii dantur modi & gradus in divina Gratia Oeconomia, qui sapientiae divinae ac proportionatae illius gradationi relinquuntur. Sufficit, lucem in Candelabro positam esse & etiamnum poni, ut omnes eam adspicere possint & sequi, si claudere oculos petulanter nolint. Id quidem necesse non est, ut PROXIME ac DIRECTE ad omnia individua extendatur ac perferatur. Hominum & populorum plerorumque status, & natus & factitius, in causa fuere, cur etiam illa media, quibus actu usus est Deus, non ulterius processerint, nec omnem suam efficaciam exseruerint, nec continuari in ordine divino potuerint.*

§. 309. Nimius igitur & illegitime nimius est Spizius contendens: „*Es komme hauptsächlich die Frage darauf an: ob allen und jeden einzelnen Personen an allen Orten, zu allen Zeiten, das Wort Gottes, wodurch man einig und allein Christum kennen lernet, seye geprediget worden. Imo vero hoc nec quaeritur nec a nobis affirmatur. Illud asserimus ac defendimus, quod omnes omnino homines, ubicunque vel vivant vel lateant, divina praevemente gratia in integrum eo usque sint restituti, ut libertate uti sua ad salutarem effectum possint, ut mediis pedagogicis bene uti possint, & facientes, quod in ipsis est, deinceps, uti Cornelius Act. 10. ad medium Conversionis proximum & ordinarium, ad Verbum Evangelii scilicet, perducantur. Verum hoc quidem Deo ejusque sapientiae ac potentiae relinqui potest ac debet, quibus modis ac viis aut occasionibus rem eo deducere possit ac velit. Sapiens Gratiae Universalis Dispensatio gratiam ipsam non restringit absolute, sed ad convenientem solum ordinem reducit, in quo & homines, quod suum est, facere possunt ac debent. Debent: adeoque & posse debent. Qua autem Virtute, quibusve mediis possent, si Gratia Dei universalis non esset? Si Christus in Salvatorem non-omnibus esset destinatus, sed paucis duntaxat?*

§. 310. Kirchmeierus, Prof. Marpurg. cum suo Spizio quidem Gratiam quandam DEI communem & universalem non negat, sed particulari tamen & ejus efficaciam præcipuam laudem tribuit. Ita enim Ille in Disp. ad 2. Petr. 2, 1. de falsis Doctoribus, Dominum ipsorum Emtorem negantibus: „Hac efficacia „Gratiæ negata, gloria illa gratiæ maxime obscuratur, „ut illi propriis potius viribus, quam Gloriæ Dei litare „videantur, qui, prætextu majoris Gratia, eam uni- „versalem faciunt. Cum enim eventus doceat, non in „omnibus & singulis hominibus gratiam ad salutem esse „EFFICACEM, utique nec omnibus EADEM „COMMUNIS censeretur, nec sufficiens dici potest, quæ „non est efficax, nisi EFFICACIA ab HOMINIS „VIRIBUS suspendatur adeoque ipsi GRATIÆ de- „negetur. Iniquum autem esset, præcipuum gratiæ „χάρισμα negare, ut major appareat, si ad omnes & „singulos se extendat. Revera enim minor gratia est „nuda benevolentia in eo, qui benefacere potest, erga „eum, qui beneficio isto absolute opus habet, licet uni- „versalis concipiatur major vero beneficentia, quæ effi- „cax & in ipso effectu conspicitur, licet ex sapientissi- „mis rationibus particularis sit. Deum, ut Creatorem, „omnibus creaturis bene velle & ex consilio gratiæ „multa ad omnes homines redire beneficia, facile largi- „mur, neque negari potest, id universale esse, quod in „omnibus se exserit & conspicitur. Tantum quaeritur, „NUM HOC OMNE SIT, in quo laudem Gloriæ „Gratiæ Deus posuit? Anne vero aliquid in quibus- „dam deprehendatur, tanquam Gratia multo major ista, „quæ ad omnes extenditur? ut non sit tam estimanda „AB EO, quod OMNIBUS COMMUNE, quam „ab eo, quod salvandis proprium, quodque proprie „gratiæ SALUTARIS nomine veniat & cujus magni- „tudo ex efficacia celebranda, quamvis ea sit par- „ticularis: & post adducta loca Eph. 1, 8. 9. 10. & Cap. 3, 20. 21. atque iterum cap. 1, 16-19. pergit:

„Quo ipso satis ostendit, eos demum de Patre Gloriæ „Ejus-

„Ejusque Gratia recte sentire, qui **POTENTISSI-**
 „**MAM** ejus **EFFICACIAM** agnoscunt, illudque
 „dogma fundamentale esse, juxta cujus analogiam
 „Scriptura Sacra, quoties de causis salutis agit, sit intel-
 „ligenda.

§. 311. Eandem Præceptoris Cantilenam Spizius
 l. c. canit: „Quare, inquit, qui particularem statuunt
 „Gratiam, eopse gratiam Dei non extenuant & restrin-
 „gunt, sed potius dignis modis extollunt ejus vim &
 „robur recte æstimando. Neque id, quod omnibus
 „**COMMUNE** esse constat, negant, sed majorem
 „gratiam, quam quæ communis est, ad salutem requiri
 „statuunt. Ut quæstio non sit: an quaedam gratia detur
 „universalis? sed an id, quod universale, sit omne id,
 „quod Deus ad salutem confert, ut, quod particulare
 „est, ab ipso sit homine, qui se discernat? An vero
 „hoc ipsum, quod particulare est, sit a Deo ejusque
 „Gratia? Neque ideo, quia effectus particulares etiam
 „Gratiæ Divinæ adscribimus, negamus vel communem
 „Dei erga homines benivolentiam, vel Dei relationi
 „morali & naturali inter Creatorem & Dominum, at-
 „que Creaturam rationalem, convenientem voluntatem,
 „qua vult, ut homo respiscat & vivat. Ezech. 18.
 „& 33. vel beneficia communia, quæ ad respicientiam
 „invitant. Rom. 2, 4. aut sufficiunt ad id, ut homines
 „sint ἀναπολογητοί. Rom. 1. adeoque non Dei, sed sua
 „culpa se non converti ac vivere agnoscere debeant.
 „Sed cum ea sit generis humani corruptio, ut istis omni-
 „bus mediis communibus nemo recte uti velit, & si quis
 „velit, hoc habeat a Gratia Dei, utique cum ista uni-
 „versali hanc particularem non modo consistere, sed &
 „ad salutem esse necessariam arbitramur.

§. 312. Sed quis non videt veritatis lucem pri-
 stini erroris tenebris sic commisceri? neque hæc alio
 fine excogitata esse, quam ut Clarissima Sacræ Scri-
 pturæ Oracula, quæ universalem Dei Gratiam clami-
 tant, eludantur? Facilem hæc omnia viam inven-
 tura esse arbitror, si ad ea, quæ satis jam inculcavi-
 mus,

mus, attendatur. Etenim a) salutaris gratia ad istam, quæ conceditur, communem & naturalem reducitur & ab hac incipit. Id quidem generalibus argumentis supra ostendimus. b) Cætera autem propriis viribus nostris naturalibus nihil sententia nostra litat. Gratia initium boni faciat necesse est in homine lapsio, sed & in omnibus facit. Salva id autem hominis libertate facit. Non irresistibiliter agit. (§. 146.) Et inde culpabili libertatis abusu nonnullorum fit particularis. Unde vero particularitas Gratia est ex ista sententia? Quænam est ejus determinate sufficiens ratio, ab ipsis his vel illis individuis petita, quorum respectu fit particularis? Cur non est universaliter efficax? (effectum efficiens ex Dissentientium mente?) Annon majorem ita & universaliore Gratia Gloriam consecuta vel consecutura fuisset? Nihil ex fine, nisi ex absurdo & irrationali Decreto Absoluto, quod adorant, respondere possunt.

§. 313. ἄτοπον est, quod Heinsius (im Schreiben an seinen Timotheum contra Langium & Rufium) cum stomacho objicit: „Nisi ipso effectu & per gratiam irresistibilem converterentur & salvarentur electi, Christus non esset ipsorum Salvator, sed ipsi se salvarent. Posterius autem esse absurdum: Christus seye nicht nur ein Seeligwerdenlasser. 2c. das wäre eine arme Seeligmacherey 2c. p. 161. R. Consequencia plane nulla est. Demonstravimus enim, etiam ad bonum a Deo hominem nec determinari, nec prædeterminari. (§. 219.) Irresistibilitas gratia igitur cum primis veritatibus colliditur. (§. 146.) Ea autem cadente, cætera sponte ruunt. Heic igitur ante omnia contrarium demonstrent Reformati absque Spinofismo. Heic meliora, si possunt, distincte nos doceant, ut appareat, quid distent æra lupinis? Cui Gratia datur, ille salvatur. Sed habenti dabitur. Habere autem (h. e. bene uti accepta gratia) possunt omnes. Præveniente enim Gratia in integrum restituti sunt omnes, ut possint accipere, ut possint habere,

bere, quod datur, ut possint accepta gratia bene uti, ut majora semper & ampliora accipiant. Non autem irresistibiliter datur. Possunt enim lævæ mentis iterum esse, & quod datum est, amittere vel negligere. Possunt in integrum restituti tamen Protoplastos imitari &, omni attentione non adhibita, relabi.

§. 314. Hieronymus van Alphen nihilominus denuo Perfectionem Satisfactionis Christi, quoad *impetrationem & oblationem* confundit cum ejus *applicatione actuali*, licet distinctionem hanc ipsa rei natura inculcet, ut sæpe a Nostris monitum est. Nihil igitur est, quando ait: *Eo usque perfectam agnoscimus Jesu Christi Satisfactionem, ut fieri non possit, quin ii, pro quibus ea ab Ipso præstita est, omnes ejus fructus percipiant.*

§. 314. Idem addit: *Christum non pro omnibus & singulis ex Adamo originem ducentibus animam suam Redemptionis pretium dedisse, nobis certum est, cum sciamus, ingentem multitudinem, ante Illius mortem, jam in infernum abiisse.* Sed ignorare non potest, quod Christus sit agnus Dei ab incunabulis mundi mactatus. Apoc. 13, 8. retroactiva meriti ipsius virtute ad omnes pertinente.

CAPVT II.

Stapferianum Anti - Stapferianum, quod scil. ex concessis Stapferi præmissis contra ipsum concludit.

§. 316.

Possem fortasse videri, pleraque in antecedentibus præter necessitatem demonstrasse & repetiisse generalia, cum non sint amplius Reformati Doctores, qui a nobis circa ista dissentiant, utpote quæ maximam partem expresse hodie ipsi adoptent ac demonstrant.

strent. Verum enim vero, etiamsi in universum de omnibus Reformatæ Ecclesiæ Doctoribus id vere nondum dici queat, tamen, si vel id ita se haberet, nostra id culpa non fieret, quod in *præmissis* nobiscum, vel, si mavis, cum veritate, sentiant atque faciant isti, in *Conclusionibus* autem Dissensum testentur suum. Systematis male cohærentis id vitium est, non veritatis. Unde neminem male habebit, quod & supra principia generalia, utrinque concessa, sollicitius determinaverimus & hoc Capite id quoque agendum existimemus, ut ex *Præmissis*, quas ipse Cl. Stapferus diserte ponit, contra Absolutismum ac Particularismum tamen, quem demonstrasse ex istis vult videri, *directe* partim, partim *indirecte* & apogogice, sed nonnisi *logice*, concludamus.

§. 317. Universalitatem principii Rationis sufficientis expresse Stapferus (Institt. Theol. Polem. T. I. Cap. 3. §. 274.) admittit & in applicatione ad Voluntatem & actiones divinas (loc. cit. §. 316, 371, 381. cum nota) defendit, ubi hæc habet: *Nihil itaque Deus vult nec agit sine ratione sufficienti. Ratio sufficiens volendi & agendi motivum est. Deus itaque nihil vult nihilque agit sine motivo, eodemque sufficienti. Unde si Deus aliquid vult, motivum adesse debet. Non autem ideo aliquid bonum est, quia Deus id vult; quod Reformati alias contenderunt: sed Deus ideo aliquid vult, quia bonum est.* loc. cit. Jam subsumatur: Electio & Reprobatio est actio Dei. Neminem hominum itaque Deus vel eligit vel reprobat sine motivo sufficienti, neque solum *ideo, quia sic vult.*

§. 318. Nondum abnuo, credo, Stapferus Conclusionem hanc priorem satis adhuc generalem variisque effugiis adhuc patentem. Fortassis enim Ille *finem* credit Deo rationem esse posse sufficientem, cur HOC velit agatque, non ALIUD? Videri hoc ita fortasse possit ex Cap. ipsius 3. §. 386. p. 94. l. cit. ubi dicit: *Cum ratione agere est propter finem agere. Quia Deus autem agit cum ratione, etiam propter fi-*

nem agit. Sed caveat, finem pro ratione sufficienti venditet, ex qua intelligi possit, cur *hoc* velit Deus, non *aliud quodcunque*. Etenim si finis ratio volendi *sufficiens* esset: voluntas sine discrimine velle omnia posset, quia vellet. Atqui posterius absurdum est & nulla *sufficiens* volendi ratio. (§. 74.) Ergo finis quoque *sufficiens* volendi ratio non est.

§. 319. Iterum si finis ratio volendi *sufficiens* esset: tum omnia voluntas volendo posset perfectiora reddere & ex impossibilibus *possibilia*. Posterius autem absurdum est denuo. (§. 75.) Prius igitur non minus absurdum manet. Ut maxime vero ambigue ita loquatur Clar. *Stapferus*, non videtur tamen antiquam *Supralapsariorum* cantilenam recinere velle, ut ex §. 317. apparet, ubi Deum aliquid velle pronuntiat, *quia bonum est*, adeoque ex ratione *objectiva a priori*. Tum vero & in sequentibus motivum expresse per *rationem volendi a priori*, ab objecto petitum, interpretatur, uti statim dicendum.

§. 320. Insistamus igitur vestigiis, quæ ipse premit *Stapferus* (loc. cit. §. 381.) & concludendo pergamus. Quicumque nihil vult agitque sine motivo *sufficienti*, ille ex pluribus etiam mundis *possibilibus* non creat *hunc potius, quam alium*, nisi *hunc* sibi magis convenire intelligat, quam *alium*, ex ratione *sufficienti*. Atqui Deus nihil vult agitque sine motivo *sufficienti*. (§. 317.) Igitur Deus etiam ex pluribus *possibilibus* mundis non creat *hunc potius, quam alium*, nisi ex ratione *sufficienti hunc* sibi magis, quam *alium*, convenire intelligat.

§. 321. Necdum Conclusio ista plus dicit, quam ipsius *Stapferi* l. c. §. 381. ubi ita: „*Deus agit propter rationem sufficientem, hoc est, propter motiva. Unde liquet, ipsi perinde esse non potuisse, an HIC mundus existat, an vero ALIUS? Unde sapientissime ipsi oportet fuerint causa, cur hunc potius, quam alium, creare decreverit.* Et in subjuncta huic paragrapho nota pluribus adhuc Conclusionem hanc vindicat
contra

contra cæteros suæ Ecclesiæ Doctores, hac parte ab ipso dissentientes, qui rationem creationis mundi solummodo *subjectivam* admittunt, a *sola voluntate repetendam*, ita tamen, ut eos sua cum sententia nitatur combinare, distinctione mundi vel antecederet ad Decretum vel post Decretum, considerati.

§ 322. Quicumque ex pluribus possibilibus mundis non creat *hunc* potius, quam *alium*, nisi *hunc* sibi magis, quam *alium*, ex ratione sufficienti, convenire intelligat, ille *hunc* mundum creat ex ratione sufficienti, in ipso mundo ejusque majori convenientia, hoc est, in *objecto* quærenda, seu *objectiva*. Non displicet Cl. Stapfero hæc *Major* Propositio. Loco enim citato §. 381. expresse addit: „*Ratio autem in objecto quærenda est, cur Deo magis hoc, quam illud creare conveniat mundi systema.* Atqui Deus ex pluribus possibilibus mundis non creat *hunc* potius, quam *alium*, nisi *hunc* sibi magis, quam *alium*, ex ratione sufficienti, convenire intelligat. (§. 318.) Ergo Deus hunc mundum creat ex ratione *objectiva*. Etiam hanc sibi Conclusionem non displicere Stapferus loco citato asserit. Diserte enim infert: Ergo *datur ratio objectiva creationis mundi.*

§. 323. Mireris fortasse, ulterius progredi Stapferum, & *determinatam* quoque creationis mundi rationem *objectivam*, si non verbis, sententia tamen, largiri in sequentibus, cum l. c. §. 382. pergit: „*Cum detur ratio objectiva, cur hic potius mundus, quam alius existat, in hoc mundi systemate aliquid sit oportet, quod illud a reliquis possibilibus distinguit; quæ ratio est, cur Deus hoc potius producere decreverit, quam aliud. Hinc ratio objectiva in differentia mundi hujus aspectabilis a cæteris possibilibus consistit.*

§. 324. Spes est itaque, non repugnaturum esse Stapferum, si utrumque exinde concludamus: & a) *determinatam esse creatum hunc mundum*, qui ita a cæteris possibilibus mundis omnibus differt, adeoque ad suam ab aliis omnibus mundis differentiam nec plus

plus habet, nec minus, quam habere quidem debet. (§. 9.) & *b*) rationem creationis mundi hujus objectivam esse *determinatam*. Ex quacunque enim ratione nec plus intelligi potest, nec minus, quam cur res quædam prædicatum aliquod præ cæteris habeat, illa est determinata. (§. 51.) Atqui ex ratione omnimodæ differentiæ hujus mundi aspectabilis, qua ab omnibus aliis possibilibus differt, nec plus intelligi potest, nec minus, quam cur Deus *hunc* maxime mundum producere voluerit, non *alium*. Differentia igitur mundi hujus aspectabilis omnimoda, qua ab aliis omnibus possibilibus differt, est ratio creationis ejusdem quoque *determinata*. Quando igitur creat Deus, creat ex ratione *sufficienti objectiva*, eademque *determinata*.

§. 325. Sed quis ex Logicis nescit, *in specie* semper contineri *genus*? Pertinet autem Creatio ad actiones Dei liberæ. Igitur *in genere* quoque verum manebit, quod *in specie* verum est. Quid inde? Scilicet ubicunque datur ratio objectiva sufficiens ac determinata, ibi nihil Deus vult, decernit agitque sine ratione objectiva. Est enim creatio divinæ Voluntatis ac Decreti executio. Plus esset in Executione, quam in Voluntate ac Decreto. Plus in effectu, quam in causa: semper sine ratione sufficienti, si istud neges. Vt jam ea non repetam, quæ omni de voluntate generatim supra (§. 52.) adstruximus.

§. 326. Quodsi jam hoc de toto universo prædicatum valet: idem quoque verum de singulis ejusdem partibus persistet. Non est enim prædicatum *formale*, quod hunc mundum in sua essentia constituit: verum externe de sapiente illius Creatore pronuntiatur, qui semper immutabiliter idem est, circa quæcunque objecta, vel in toto vel in parte considerata, versetur. Æque verum igitur erit & illud effectum: *Quicquid in hoc mundo Deus agit, id agit ex ratione objectiva determinata*. Vera erit quoque *Negativa*

tiva æquipollens Propositio: *Nihil Deus agit, nisi ex ratione sufficienti objectiva determinata.* Non putem abnuere & has propositiones Cl. Stapferum. Quicquid enim existit, individuum est omnimode determinatum. (§. 9. seqq.) Nec plus enim, nec minus, jam habet, quando existit, quam quidem in sua possibilitate habere *posse* concipitur. (§. 5.) Qui autem omnia cognoscibilia cognoscit, Deus: (Stapfer l. c. c. 3. §. 338.) Qui omnia possibilis & absolute in se spectata & in relatione ad alia omnia distincte, maxima, minima, omnes rerum qualitates, modos, relationes, genera & species, cognoscit, Deus: (l. cit. §. 332. 347.) ille & omnium ab aliis differentiam cognoscit & ad eam attendit, cum *hoc possibile non aliud* quodcumque, in *hac* rerum combinatione existere jubet. Nihil itaque creat Deus sine ratione objectiva eademque determinata in toto hoc universo. Pone enim, contrarium esse verum, & semper pars hæc vel illa huic universo hoc loco & tempore innexa erit sine ratione sufficienti. Si magis autem *hanc* partem toti hoc loco & tempore convenire cognovit Deus, tum sane *major* ista partis convenientia differentiam ab aliis, minus convenientibus, arguit. Aut equidem non amplius, quid ab altero differat? novi. Differt, quod habet, quod alterum non habet. Quod igitur *majorem* convenientiam habet, id ab aliis differt. Quodsi vero ad istam singularum totius partium differentiam non attenderet Deus, cum eas existere jubet, aut non posset ad eam attendere, aut nollet. Blasphemum prius absit, ut de Deo cogitemus. Si autem nollet: cur quæso nollet? cum tamen respicere differentiam rei *posset*? An sine ratione sufficienti? An circa partes recurrere ad *subjectivam* rationem æquivocam liceret, cum tamen id circa totum non liceat. (§. 321. seqq.)

§. 327. Tuto igitur rursus *a genere ad speciem* concludere licet. Quicumque nihil vult, nihil decernit, nihil agit sine ratione sufficienti objectiva eademque deter-

determinata, ille etiam neminem eligit ad æternam salutem, neminemque damnat æternum, sine ratione sufficienti ac determinata objectiva, h. e. ab ipso eligendo ac damnando petita. Atqui Deus nihil vult, nihil decernit, nihil agit sine ratione sufficienti objectiva & determinata. Ergo Deus etiam neminem hominum vel ad salutem æternam eligit, nisi sufficientem & determinatam rationem in ipso eligendo homine habeat ac respiciat, ob quam magis convenit, ei salutem æternam adjudicare, quam non adjudicare: sed & neminem hominum Deus ad æternos cruciatus detrudendum censet, nisi ejus rei sufficientem ac determinatam quoque rationem habeat ab ipso homine damnando repetitam.

§. 328. Numquid autem hoc planum ac facile argumentum jugulat omne Decretum Dei *absolutum*? Ut maxime enim *determinate* ac *speciatim* nondum evincat, *fidem* & *incredulitatem* esse istam rationem sufficientem objectivam ac determinatam, ob ipsis eligendis vel damnandis repetitam: *in genere* tamen Decretum, quod rationes objectivas, ab intellectu divino repræsentatas, tanquam motiva sequitur, *conditionatum* est. Decretum Dei rationes objectivas, tanquam motiva sequi, Cl. Stapferus ipse admittit ac demonstrat. *Conditionatum* igitur Decretum Dei ipse revera defendit, non *absolutum*. Videat enim, si placeat, omnes absoluti Decreti Divini Definitiones, explicationes ac defensiones, quas in Actis Synodorum & apud Doctores Ecclesiæ suæ invenit, annon *hoc sensu absolutum* vocaverint ac defenderint omnes Prædestinationis Decretum, quod in eo Deus non respiciat *conditionem* hominis eligendi aut reprobandi antecedentem, conditionem scilicet fidei & incredulitatis, eligendorum ibi, heic reprobandorum? Non jam ad manus sunt, quæ referri huc possent, testimonia. Wendelinus tamen, antiquus, sed ex Classicis Reformatis Princeps Theologus, in Theol. Christ. l. 1. c. 3. th. 12. n. 5. *Absolutum*, inquit, *Decretum Dei est respectu cause impel-*

impellentis in homine existentis, vel a beneplacito Dei diversa. Ostendit autem Johannes Musæus in Colleg. Controv. Anti-Wendel. Disp. VI. Quæst. 2. §. 11. &c. intelligendam esse causam impulsivam *minus principalem*, atque id quidem ex ipsius Wendelini System. Maj. p. 333. Rüssenius, Turretini Epitomator, Part. 1. Loc. V. de Decretis Dei p. 128. ait: *Agitur hoc loco de Decreto Conditionato A PRIORI & ANTECEDENTER, a parte ipsius Decreti, & quæritur: An talia dentur Decreta* (debebat quærerere: an unicum Dei Decretum in ea quoque relatione possit ac debeat considerari, qua rationabiliter pendet - non autem) *quæ suspendantur a conditione aliqua extra Deum potestativa & inertis eventus? An vero sint absoluta, quæ pendeant a SOLO ejus beneplacito? Posterius hoc probatur.* &c. Quin & ipsi Cl. Stapfero Voluntas Dei *absoluta & arbitraria* idem sonat. l. c. §. 648. p. 169.

§. 329. Tum vero, si grave non est, conferat Stapferus, quæ a Theologis nostris Decreto suæ Ecclesiæ *Absoluto* constanter hucusque opposita fuerint? Profecto contra nullum *alio sensu absolutum* Dei Decretum ex Nostris pugnavit quisquam, præter illum ipsum sensum, quo illud negat, rationem sufficientem Electionis & Reprobationis a conditione objecti eligendi vel reprobandi, scilicet ab ejus fide vel incredulitate *speciatim* & antecedenter repeti: quo negat, Decretum Divinum quicquam in objecto respicere, tanquam rationem aut conditionem ejus, a qua intellectus divinus id repræsentans *logice* - voluntas autem divina id volens vel decernens *rationabiliter* & intellectui harmonice dependeat. *Conditionatum* Dei Decretum Nostrum contra asseruerunt ac defenderunt, quoniam id rationes objectivas determinatas, ab intellectu repræsentatas & oblatas, tanquam motiva, tanquam rationes sufficientes, sequatur. Neque opus est, putem, multa hoc loco in rem hanc allegare testimonia.

§. 330. Planum est igitur pervidere, quod *sententia*

tentia certe, si non *vocabulo* quoque a suis Majoribus hac parte discesserint Reformati Recentiores, qui ab idea absoluti Decreti (§. 328.) discedunt. Nec sane Cl. Stapferum pro genuino filio hac parte Calvinus agnosceret, si hodie quidem revivisceret.

§. 331. Quodsi itaque Reformati hodie concedunt, atque ipsi defendunt, non decernere Deum, nisi ad Objectorum Conditionem (hanc illamve) respiciat, eamque tanquam motivum seu tanquam rationem sufficientem ac determinatam sequatur: tum sane *conditionatum* Dei Decretum statuunt, quod veritati & Nobis sufficere potest. Nostri enim alio sensu *Conditionatum* non tuerentur Dei Decretum, sed nec alio, quod sciam, sensu *absolutum* Reformatæ Ecclesiæ Decretum hucusque impugnaverunt, nec alio etiam sensu, Nostri Reformati contradixerunt. (§. 328.) Palpabilem sanæ Nostri injuriam facerent Reformati, qui aliter statuere, &, ut vel sua nihilominus defendere, vel certe a janua non aberravisse videantur, ejusmodi quid circa ideam ac Definitionem Conditionati Decreti expresse vel tacite Nostri tribuere non erubescerent, de qua ne per somnium quidem cogitarunt unquam. Quis enim Nostri Divinum Decretum eo sensu conditionatum (scil. a conditione objecti suspensum) dixit, quasi ab objecto, tanquam *principio extrinseco*, tanquam a *vi externa* adigeretur Deus ad volendum seu decernendum? Candori adversum est, ista fingere, ut perstare dissensus videatur. Cui bono igitur tam sollicitè Stapferus (l. c. §. 376. seq.) demonstrat, *Deum a nulla externa vi cogi posse, ut aliquid velit?* Item, *sine principio externo Deum sese determinare ad hoc vel illud.* &c.

§. 332. Quid igitur? Si Definitio quidem admittenda & Definitum tamen denegandum videatur, si *Absoluti* Decreti nomen nihilominus retinendum videatur: tum ad fucum aliis faciendum duplex consilium est. a) Et *ditione* mutari potest Absoluti Decreti Definitio: b) & *objectiva* illius ratio post ne-

xum totius mundi, finito intellectui imperferibilem, reduci & abscondi, ut huic in *generali* solum ratione, in majori cum attributis divinis & toto universo convenientia sit subsistendum. Utrumque Consilium Cl. Stapferus sequitur.

§. 333. Primo quidem jam supra §. 163. vidimus, ideam Absoluti Decreti ambigua locutione mutasse Stapferum, cum nonnisi eo sensu Divinum Decretum a suæ Ecclesiæ Doctoribus *Absolutum* statui asserit, *quo a nulla conditione pendeat, quo nihil fuerit extra Deum*, a quo ceu conditione Decretum illius pendere potuerit. (Instit. Theol. Pol. T. 1. c. 3. §. 1206. cum nota.) Repetere ista hoc loco nihil attinet. Ipse enim Stapferus (loc. cit. Sect. 3. c. 3.) concedit ac demonstrat, *ideas rerum non esse arbitrarias, sed necessarias & immutabiles*, (§. 351. seq.) *Deumque sibi in intellectu suo possibilia representare, ut talia*. Deo igitur indignum non potest reputare, si intellectum divinum a suo objecto, hoc est, a cognoscibilibus *logice* pendere dicamus. (§. 94.) Sed & iterum (Sect. 4. §. 371.) tuetur idem: *Deum nihil agere, nihil velle, sine motivo; Deum ideo aliquid velle, QVIA bonum est*. Non igitur negaturum quoque putaverim. Cl. Stapferum, quod divina voluntas *rationabiliter* ab objectis pendeat. (§. 97.) Itidem hoc absque ulla in Deum indignitate. Sed plura profecto non postulamus. Aliam & majorem dependentiam in Conditionato Dei Decreto non exigimus. Hanc *Absoluto* Decreto satis contradicere arbitramur. Vanum est, si Conditionato Dei Decreto, quod a Conditione objecti, tanquam ratione volendi objectiva (rationabiliter & intellectui, eam cognoscenti, harmonice) pendet, principium aliquod extra Deum existens, voluntatem divinam cogens, affingatur. Infanis hæc tribuantur licet, non Nobis.

§. 334. Sed & *alteram* Stapferus viam init, qua rationem objectivam, quam Dei Decretum Prædestinationis, tanquam motivum sufficiens, sequitur, *post*

nexum totius universi seducit & abscondit, scilicet, ut nobis homuncionibus in totum arcana & imperscrutabilis illa maneat. Persequamur igitur fugientem.

§. 335. Præsensisse autem Stapferus ex præmissis, quæ Ipsemet posuit, conclusionem videtur (§. 326.) illatam, licet eam determinate inferre consultum non duxerit esse. De motivis Decreti Divini *determinatis* altum fileat. Sed tamen ea quoque negare non audet, imo tacite potius admittit, dum ea post nexum totius universi abscondit & prorsus impersecutabilia facit. Ait enim (loc. cit. pag. 106. §. 432, 433.) „Nihil de-
 „cernere Deum, nisi in relatione ad omnia sua attri-
 „buta & totum universum. Hinc nonnisi per omnia
 „attributa divina simul sumta & per considerationem
 „totius universi judicari potest, cur Deus aliquid decre-
 „verit? Rationes Divini Decreti igitur NOBIS per-
 „spectæ non sunt. (§. 431.) Omnes enim omnium rerum
 „rationes PARTICULARES & ad totum relatio-
 „nobis est incognita. (§. 410. ibid.) Generalis ratio est
 „major cum fine ultimo convenientia. (§. 1172.) Hinc
 „si queratur de hoc vel illo individuo, cur Deus IL-
 „LUD potius ad Gloriam, quam vero ALIUD, de-
 „stinaverit, non aliter, ac de universo Systemate re-
 „sponderi potest, nempe quia fini divino convenientius
 „fuit, hoc vel illud Individuum eligi, quam reprobari.
 „(l. cit. §. 1173.) Ratio objectiva Decreti Divini est
 „ergo convenientia rei cum fine. (§. 1174. ib.) Nulla
 „igitur RATIO PARTICULARIS indicari potest,
 „cur Deus hunc potius hominem salvare decreverit,
 „quam vero alium: sed in GENERALI, nempe ma-
 „jori cum fine convenientia, subsistendum est. (§. 1175.)

§. 336. Quodsi jam tantisper ab imperscrutabili-
 tate rationum illarum Decreti Divini objectivarum
 particularium & specialium (& determinatarum) abstra-
 hamus, eas tamen Decreto Divino non denegare, sed
 expresse ita nominare & admittere videtur Stapferus.
Indicari eas non posse ait. Ambigue id potest dictum
 esse, vel, quia nullæ dantur rationes particulares

Decreti

Decreti Divini, vel, quia dantur quidem, at nobis imperscrutabiles & inassignabiles. Verum de imperscrutabilitate hac ex superioribus jam, quid habendum sit, constat & infra nonnihil addemus. Argumentamur interim ex concessis: Quodcunque Decretum respicit rationes omnium rerum atque Individuorum *speciales & particulares*, quibus ad totum univ-ersum referuntur, illud rationes objectivas determi-natas, tanquam motiva, sequitur; adeoque iterum *conditionatum* est, non *absolutum*. Jam vero Decre-tum Divinum ex mente Stapferi respicit omnium re-rum rationes speciales & particulares earundemque relationem ad totum hoc univ-ersum §. 432. loc. cit. Ergo Decretum divinum rationes objectivas determi-natas, tanquam motiva, sequitur; adeoque *conditio-natum* est ex Definitione, non *absolutum*.

§. 337. Atque rursus: Quodcunque Decretum respicit majorem rei cujuslibet cum fine ultimo con-venientiam, tanquam rationem & conditionem, ob quam ea decernitur, illud sequitur rationem objecti-vam determinatam; adeoque Conditionatum est ex Definitione, non *absolutum*. Atqui vero ex iis, quæ Stapferus concedit, Divinum Decretum respicit ma-jorem rei cujuslibet cum fine ultimo convenientiam, tanquam rationem & conditionem, sine qua non de-cernitur. (loc. cit. §. 1175.) Divinum itaque Decre-tum sequitur rationem objectivam ac determinatam. Et hinc *conditionatum* est, non *absolutum* ex Defini-tione.

§. 338. Quid circa utramque majorem Proposi-tionem monere potest Stapferus? Scilicet recurrere potest ad Conditionem *Consequentem*: at præter rhom-bum. *Antecedenter* non potest respicere Deus, quod demum *sequitur* ipsius Decretum, nisi iterum multi-plicare divina Decreta placuerit. Ait Stapferus: *Quando res decreta a conditione suspensa est, conditio simul decreta est.* Sed hæc ambigue dicuntur, ut circa conditionem ad merum beneplacitum recursus
L 2 detur.

detur. Interim: Cujuscunque rei, a conditione suspensæ, conditio simul eodem Decreto decernitur, ea res tamen, nonnisi tanquam ab illa conditione suspensa, decernitur. Igitur in signo rationis & res & ejus conditio, a qua suspenditur, Decretum ipsum antecedit. Decretum supponit objectum suum, non facit, neque, ut fatetur Stapferus (loc. cit. §. 440.) in re decreta quicquam mutat. Divinum igitur quoque Decretum non *facit*, ut objectum ab æterno decretum *tale fiat*, nec aliud, sed quale est & futurum esse in his circumstantiis cognoscitur, tale decernitur. Unde si Electio & Salus æterna hujus vel illius hominis, a conditione fidei hujus, pendet, etiamsi conditio hæc (nempe fides) simul decreta sit, tamen non potest æterna salus hujus vel illius hominis decerni, nisi tanquam ab ipsius fide suspensa. Illius igitur Conditionis respectus Decretum Electionis ipsum antecedit oportet, neque *ut consequens*, potest considerari. Tum vero qui nihil omnino vult, ut demum de futuro & in consequenti placeat, Deus (§. 109.) idem nec ad salutem æternam eligit quemquam hominum, ut *postmodum* credat, ex ratione prorsus eadem, quam repetere nihil attinet. *Kar' ἀνθεκτων* disputamus hoc loco.

§. 339. Expresse autem Stapferus loc. cit. ait:
 „In uno eodemque Decreto Divino, quamnam decreta
 „res ad se invicem & ad finem ultimum relationem ha-
 „beant, dispiciendum. Generatim quippe cum fine con-
 „spirent necesse est. Atque rursus §. 1164. in nota:
 „In rebus decretis elegantissimus & fini ultimo conse-
 „quendo convenientissimus deprehenditur ordo ut unum
 „alteri semper subordinatum sit. Atqui vero in uno
 eodemque Decreto Divino Electionis hujus vel illius hominis ad æternam salutem ipsa hæc salus æterna ad fidem & v. v. fides ad salutem æternam, hanc relationem habet, ut fides, a parte hominis, sit conditio, sine qua salus æterna obtineri non potest. Fides igitur in Divino Electionis Decreto priorem re-
 spectum

speculum habet & priori hoc ad salutem æternam respectu decreta est. Sed ob id ipsum Conditio Electionis consequens non potest esse fides. Aliter eodem respectu idem prius esse posset & posterius. Quod nemo sanus admittet.

§. 340. Alibi Stapferus concedit: *Deum suo Decreto in re decreta nihil mutare.* (§. 440. loc. cit.) Numquid autem mutaret Deus in re decreta aliquid, si finem, ut mediis priorem, decerneret? Numquid autem fides in Christum est *verum & determinatum & unicum* (respectu hominis lapsi) *possibile* ad salutem æternam medium? Qui igitur fides per rerum naturam, ut finem *consequens*, ut Electionem ad salutem æternam *consequens* conditio aut medium, cogitari potest?

§. 341. Quicumque (liceat pergere argumentatione indirecta) medium, quod ad finem est determinatum & unicum possibile, etiam in Decreto Divino statuit finem consequi adeoque posteriorem eodem esse posse, ille Deum prius de fine, & tum demum de mediis dispicere statuit.

Atqui vero posterius admitti non potest, nisi ab eo, qui Deum credere mutabilem & successive cogitantem ac deliberantem nullus dubitat.

Verum ab hoc longe abest & abhorret Stapferus, qui rite satis demonstrat l. c. (§. 340. seqq.) *Deum simul cognoscere omnia possible*, etiam quid per animas hominum sit possibile & integram seriem perceptionum & appetitionum earum, non minus cogitationes & decreta omnium (§. 362.) præterita & futura (§. 363. &c.) Quid igitur? Non nisi de Conclusionis lis superesse potest.

§. 342. Diserte etiam Cl. Stapferus *harmoniam* seu *convenientiam rerum cum fine generalem* admittit, & quidem, ut rationem Decreti Divini a priori sufficientem. (§. 1172. loc. cit.) Sed nihil facilius est, quam demonstrare, quod ista cum fine ultimo con-

venientia in rationalibus creaturis sit libertatis earundem usus, generatim. Fides autem nihil aliud est, quam lapsorum sed & in integrum restitutorum hominum usus libertatis ad finem specialis. (§. 248. seq.) Igitur si Deus in suo Decreto antecedenter ad rerum cum fine convenientiam respicit, profecto etiam in suo circa homines lapsos, & restitutos quoque, Decreto antecedenter ad specialem eorundem convenientiam, hoc est, ad specialem libertatis eorundem usum, nempe ad fidem respiciat oportet. Quid inde? Ratio Decreti Electionis horum illorumve hominum particularis & specialis adeoque imperscrutabilis & inassignabilis non est, ut non *generatim determinate* cognosci & de *omnibus electis vera & valida* indicari queat.

§. 343. Aut enim illa Electorum convenientia cum fine, cum salute & gloria æterna determinatio *naturalis* est aut *supernaturalis*, quæ hos illosve ad gloriam distinguit. *Naturalis* ea in homine lapsos esse non potest. Est enim a natura corruptus omnino & in peccatis mortuus, ad bonum ineptus omne & ad mala omnia natus: Iræ filius, non Gloriæ. Eph. 2, 3. Erit igitur convenientia Electorum hominum cum fine dubio procul determinatio *supernaturalis*. Verum sine restitutione illius in integrum seu gratia præveniente in homine lapsos ne possibilis quidem est illa determinatio. Et restituto quoque in integrum homini nihil ejus, *præter determinationem*, relinquitur. (§. 246.) Quatenus bona est & fini conveniens, eatenus gratiæ prævenienti & lapsos hominem in integrum restituenti accepta est ferenda: quatenus autem *determinate hæc, talis ac tanta*, est, non alia, non majori, non minori gradu conveniens fini determinatio, eatenus est ab homine & ejus libertatis usu repetenda, etiamsi originarie supernaturalis & spiritualis maneat. Specialis autem libertatis usus est fides. (§. 248.) Constat igitur *determinate*, majorem in Electis ad Gloriam hominibus convenientiam,

tiam, quam Deus antecedenter in suo Decreto respicere potest, esse fidem in Christum. Similiter contra de Reprobationis motivo sufficiente ac determinato habendum.

§. 344. Motivum Reprobationis horum illorumve hominum est major eorundem cum æterno supplicio convenientia. Sed æqualis omnium hominum corruptio naturalis sufficiens ac determinatum Reprobationis motivum dici non potest. Neque enim ex ipsa Dissidentium mente omnes homines sunt reprobi. Alia igitur determinatio majorem istam horum illorumve hominum ad æternos cruciatus convenientiam constituat necesse est. Quænam vero illa, nisi quæ ab abusu libertatis earundem repetitur, (§. 172.) cujus species incredulitas est. (§. 249.)

§. 345. Videamus de aliis in hac materia Controversis. Duplex EJUSDEM divinæ Voluntatis *respectus*, quo ut *Antecedens* & *Consequens* distinguitur, tota lege nondum inspecta, male olim Reformatos habuit. *Stephanus Vitus*, Cassellanus, ea de causa *Hunnianos* nos Lutheranos vocat, perinde ac si a reliqua saniore doctrina B. Lutheri descisceremus! perinde ac si *Ægidius Hunnius* demum primus fuisset, qui in suo de Prædestinatione Tractatu doctrinæ hujus mentionem fecerit. Exasciavit iile quidem doctrinam hanc, sed plene & accurate satis traditam a Theologis, etiam Hunnio prioribus; ut paratragœdiatio hæc *Viti* ad minimum sit præter rhombum. (Conf. B. D. Weism. Instit. Loc. x. p. 688. n. 18.)

§. 346. Equidem sæpe istam Reformatorum morositatem post claras ac distinctas distinctionis hujus explicationes fui miratus, cum ipsi divinum intellectum & ejus repræsentationem omnium possibilium subinde *antecedenter* ad Decretum Ipsius considerare consueverint, statuendo, aliter res possibiles in sese & *antecedenter* ad Decretum a Deo repræsentari, aliter *post* Ejus Decretum. (Conf. ipse Cl. Stapferus loc. cit. §. 329, 339, 358. not. & 381. not.) Et recte

quidem omnino! Si autem circa intellectum divinum distincta hæc consideratio locum habet, ut inde nulla tamen in Deum injuria redundet, ut nulla tamen successio idearum in Deo cogitetur: quidni idem similiter fieri queat in *Voluntatis* consideratione, absque ulla in Deum redundatura indignitate? Vana, ut vidimus, est exprobratio, quod ita Deus a principia quodam externo *physice* dependens fiat. Tribuantur hæc illis, quæ sanæ sincipitis non sunt.

§. 347. Hodie tamen vel tandem dissensus circa hanc duplicem *Voluntatis* divinæ relationem ac distinctam utriusque considerationem cessare videtur, cum circa solum *Definitum* morosi esse, cætera autem distinctam utriusque relationis *Definitionem* & admittere & expresse defendere soleant Reformati. Audiamus Stapferum recentiorum l. cit. §. 516. seqq.

„Quia autem Deus erga omnes creaturas bonus est,
 „etiam omnes creaturas, propriissimo autem sensu solas
 „creaturas racionales, amat. Qui alterum amat, ille
 „vult ejus felicitatem. Deus autem amat (omnes)
 „creaturas suas, præcipue racionales. Ergo Deus vult
 „felicitatem illarum, & contra illarum infelicitatem
 „non vult. Atque iterum: Deus non potest velle im-
 „perfectum. Unde malum morale Ipsi nullum placet,
 „neque illud approbare potest. (§. 611.) Vere autem
 hæc nonnisi de *Antecedenti* *Voluntate* Dei dici posse
 nemo non videt.

§. 348. Ita etiam solícite demonstrat Stapferus: Deum nonnisi optimum velle ac decernere, nonnisi perfectissimum producere. (§. 389, 402, 403. loc. cit.) Atqui vero non posset cogitari Deus velle ac decernere optimum (*voluntate consequente generali*) si non *antecedenter* omne bonum in genere vellet, si quædam bona voluntate sua præteriret. Similiter nec applicate (*speciali* *Voluntate* consequenti) Deus cogitari posset, ex lapsis tot homines salvare velle & eorum salutem decernere, quot salva Ipsius sapientia salvari possunt, si *antecedenter* non vellet, serio & effi-
 caeiter

caciter satis, salutem omnium hominum, in Adamo lapsorum, si temere quosdam sua gratia, ex mero beneplacito, præteriret.

§. 349. Quæcunque enim voluntas maximum possibilem effectum in Consequenti non obtinet, ea *seria* dici non potest. At Reformatorum ea doctrina est, quod divina Voluntas non tot ex lapsis hominibus ad salutem æternam & media eo perducentia voluerit eligere, quot salvari tamen potuissent, si cum cæteris, quibuscum in æqualibus circumstantiis versabantur, electi fuissent, h. e. divina voluntas (*generatim*) non obtinere tantum effectum nititur, quantum tamen obtinere posset, si æquales non inæqualiter tractandi videatur. Unde *seria* quoque voluntas divina non est. Absurdam Conclusionem non puto agnituros Dissidentibus. Igitur vel circa Majorem, vel circa Minorem Dissensum testabuntur suum. Sed Major Propositio ad Definitiones & identicas Propositiones pertinet. Quid enim est *seria voluntas*? & quo sensu est *seria*, si maximum, qui possibilis est, effectum non obtinere studet? Si partem præterit, quam præstare nihil impediret? Si partem (hominum) electione sua præterit, in qua tamen non majorem præteritionis rationem invenit, quam in reliqua parte (hominum,) quam eligere constituit? Ipse Stapferus, putem, hanc Propositionem tuetur & argumento suffulcit: Deum, ait, decet, quod cum summis suis perfectionibus convenit. Sed sine dubio convenit perfectissimum (velle &) facere præ minus perfecto. - Voluntas illa est perfectissima, quæ non vult nisi perfectissimum. Maxime enim id illi placet (h. e. serio vult) quod perfectissimum est. (§. 402, 403, §. 391. loc. cit. p. 96, 99.) Respective autem perfectissimus est ille effectus, qui maximus est possibilis; non ille, quo major potuisset obtineri *absque impedimento*. An ille vult serio, qui, non impeditus, non facit tamen? Omnis igitur absurditas in *Minori Propositione* recumbet, quæ Dissidentium doctrina

est. Nostri autem universalem gratiam nonnisi de Voluntate Dei *Antecedenti* interpretantur.

§. 350. Cæterum urgeri & illud contra Stapferum *κατ' ἀνθρώπων* posset, quod in Sect. 4. & 5. l. c. demonstrat: „*Decum omnia unico actu velle* (§. 375.) *ac decernere, ut Decretum Divinum nonnisi numero unicum sit* (§. 435.): & nihilominus plerumque de pluribus Dei Decretis loquatur (§. 421, 424, 427.) imo & in divisione, cum aliis, Decreta *particularia* ab *universali* distinguat (§. 1156.) & Decretum *particulare* definiat per illud Decretum, quod liberationis medium & salutem hominum respicit. (§. 1157.)

§. 351. Sed ne quid nimis! Difficile enim non est conjectu, quare cum *multis* ita loquendum Stapfero fuerit? Ipse tamen per particulare Decretum nonnisi *partem* unius ejusdemque Decreti vult intellectam. Ita enim §. 1159. 1161. loc. cit. ait: „*Hinc ad hanc Decreti partem intelligendam & comprehendendam opus est, ut sciremus, quam quodlibet PARTICVLARE DECRETVM relationem habeat tum ad perfectionem totius universi, tum ad omnia Dei attributa.* - Unde „*uti Decretum Dei in genere - ita non minus qualibet ejus PARS, sive DECRETVM PARTICVLARE nobis incomprehensibile est.* Expressius adhuc ad §. 1165. in Nota se explicat: „*Quando sæpissime de pluribus Decretis sermo fit, id non intelligendum est de ACTV DECERNENDI, qui nonnisi unicus esse potest & aliter per attributa divina fieri nequit: sed indicatur, quod in Mundo, qui nonnisi Ens Unicum est, dentur varia partes sibi invicem coordinatæ & subordinatæ, variæ rationes & fines speciales, qui debent resolvi in finem aliquem ultimum. Ratione VARIORVM ILLORVM OBIECTORVM, quæ in mundo occurrunt, PRO NOSTRO CONCIPIENDI MODO, etiam VARIA distinguimus DECRETA, quo nihil aliud exprimitur, quam UNICVM DECRETVM varias RES SPECIALES comprehendere.*

§. 352. Verum rectissime hæc quidem à Cl. Stapfero in thesi dicuntur. Numquid autem factum huic Protestationi est contrarium? Conferantur, si placet, quæ supra Cap. 1. Sect. 2. ad argumentum Stapferi primum monuimus, & facile transparebit, quod ipsa hæc ambiguitas quoque diversos & successivos decernendi actus in Deo importet. Quid enim? Infert, quod Deus *antecedente* actu finem decernat, *consequente* autem actu demum media ad illum finem facientia conditionesque, sine quibus finis non obtinetur, pro lubitu & ex mera voluntate & absque determinata ratione, a singulis individuis petita, decernat. Infert, quod Deus primo salutem, his, illis conferendam, postmodum vero illis quoque fidem in Christum, tanquam medium ad finem, decernat. Infert, quod in divino Decreto præmium & pœna priorem rationem & relationem habeat, quam meritum ac demeritum, quam fides in Christum & incredulitas. Numquid hoc est naturam rerum decretarum intervertere aut plura Dei Decreta, respectu *actus decernendi quoque*, particularia, occulte statuere?

§. 353. Ecce argumentum totidem Stapferi assertis conceptum, nulla igitur, nisi veritatis, ratione Dissidentibus forte odiosum. Quicquid rationem in se continet, cur finis obtineatur, illud natura certe illo fine prius est. Atqui media, ex Definitione, rationem in se continent, cur finis obtineatur. (Stapf. loc. cit. §. 487.) Sine mediis non obtinetur finis. Saltim sapiens non agit propter finem sine mediis. Stapf. loc. cit. §. 1187. p. 331. Unde in hoc mundo omnes rationes & fines speciales tendunt ad generalem, (loc. cit. §. 384. seqq.) nempe manifestationem gloriæ divinæ. (§. 497. seqq.) adeoque media sunt ad finem ultimum & generalem. Ergo media sunt sine natura certe priora.

Quicumque autem omnia unico actu decernit, quicquid in tota rerum serie fit & suo decreto in rebus decretis nihil mutat, in illius decreto etiam id
 pria-

priorem relationem obtinet, quod natura altero prius est. Atqui Deus omnia unico actu decernit. (Stapf. l. cit. §. 436.) & suo decreto in rebus decretis nil mutat. (ibid. §. 439.) Ergo & in divino Decreto priorem id relationem obtinet, quod natura altero prius est. Jam vero

In quocunque Decreto id altero prius est, quod priorem relationem habet, in illo media sunt finibus natura certe & relatione priora. Per Syllogismum priorem. Media enim continent rationem, cur finis obtineatur. (Stapf. loc. cit. §. 487.) tendunt & ducunt ad finem. (ibid. §. 1168, 1169. p. 326.)

Atqui salus hominum est finis Dei specialis, ad quem perveniendi medium est fides. Nam sine fide salus non obtinetur. Joh. 3, 16, 18, 36. per illam autem obtinetur. (Stapf. l. cit. §. 1180.) Ergo & in Decreto divino fides, tanquam medium, natura & relatione prior est, quam finis Dei specialis, hominis nempe æterna salus. Numquid autem idem hoc est, ac si dicas: Nemini hominum salutem æternam Deus decernit, nisi in relatione antecedanea ad ipsius fidem? Aut igitur exsecutio est speculum Decreti, aut Deus, contra veritatem, fingendus est *successive* cogitans, volens, decernens: ut primo de fine deliberans & tum demum de mediis dispiciens: ut primo de salute horum illorumve hominum, & tum demum de fide ipsis donanda constituens.

§. 354. Addamus & illud ab assertis Stapferianis non alienum:

Quicumque non unum sine altero, non finem sine mediis, decernit, sed omnem rerum ordinem, conditionem, nexum, seriem rerum coëxistentium & successivarum, talem, *qualis existit*, simul ordinavit atque constituit, Ejus Exsecutio est speculum Decreti. Atqui Deus (secundum §. 1196. Stapf. l. c.) non decrevit sine altero, neque finem sine mediis, sed omnem rerum ordinem, conditionem, nexum, &c. talem, *qualis existit*, simul ordinavit, atque constituit.

Ergo

Ergo Divina exsecutio est speculum Divini Decreti. Quis autem negaverit, in Exsecutione fidem antecedere, salutem vero illam consequi? Ergo Deus & in Decreto suo prius ad fidem & incredulitatem Electorum, & reproborum respexit, quam ad salutem illorum vel damnationem.

§. 355. Contra particularem vero Gratiam Dei Cl. Stapferus ipse sic argumentatur loc. cit. §. 1175.

„Quoscunque ratione bonorum spiritualium nihil
 „a se invicem distinguit: Quicunque omnes aque sub
 „peccato sunt, & in eodem corruptionis luto hærent, cir-
 „ca illos nulla ratio particularis (nec) iudicari potest
 „(nec dabilis est,) cur Deus hunc potius ex illis eligere &
 „salvare, alium vero sua gratia præterire decreveris. Si-
 „ne ratione autem objectiva Deus nihil decernit. Atqui
 „homines lapsos ratione bonorum spiritualium nihil a se
 „invicem distinguit. &c. Ergo.

CAPVT III.

§. 356.

Sed properemus vel tandem ad finem Tentaminis, cujus si qua commendatio est, ea quoque in brevitate quærenda esse videtur, ut ne Lectoribus Emtoribusque molesti simus. Nemo facile magnos amat libros, in quibus pauca invenias. Jocosè Schuppius olim: *Magnus liber*, inquit, *indicium est magni quidem ingenii, judicii vero non admodum magni.* Illud de Theticis quidem verius putamus, quam de cæteris in universum. Sed ob id ipsum potest etiam in parvis iudicium desiderari. In tentaminibus tamen est laudanda voluntas. Unde non possumus, quin, antequam desinamus, Benevolum Lectorem de nonnullis, quæ ad eorum, quæ diximus, usum pertinent, diserte adhuc commonefaciamus. Potuissent ea ex parte in præfationem referri, si quidem illa consultum duxissemus

semus præmittere, quorum dijudicatio plenam causæ cognitionem præsupponit.

§. 357. Tota autem causa jam cognita dispalescit, quousque perventum sit in Controversia hac principali, tam varie hucusque cocta ac destillata ac sublimata ac transformata & hodie philosophica facie induta, si *generalia hujusmodi* quoque eidem adhibeantur & specialibus argumentis ac responsionibus substernantur. Philosophiæ hoc adminiculum est, quo supersedere possemus in Theologia, si eo quidem uti ab adversariis non veluti cogeremur.

§. 358. Verum enim vero Dissidentes cognito, Absolutismum suum ad incitas esse redactum, auxilium ipsi à Philosophia & novo ejusdem habitu petendum esse existimarunt. Inde Leibnitium quoque Ipsum in Absolutismi & Particularismi partes trahere non erubuerunt. At irrito & hoc conatu, indicante in tom. 2. Usus Philos. Leibn. in Theol. S. Ven. Canzio. Hodie mathematicam quoque methodum Absolutismo suo superinducendam censuerunt, ut inturbatus eo diutius latere queat. Sed omnis & hic conatus haud obscure prodebat, ad triarios rem Absolutismi & Particularismi rediisse. *Objectivas & speciales* Decreti Divini rationes abnuere ulterius nesciebant Dissidentes. Verum vexatio dabat intellectum. Recepta Absoluti Decreti Definitio deserebatur. Aliud Absolutismo latibulum exquirebatur. Rationes Decreti Divini fingebantur innominabiles & imperscrutabiles, a nexu totius universi, nondum vero a singulis individuis repetendæ. Ita absolutum cum imperscrutabili & independenti permutabatur. Ita extra Scripturam Absolutismus cum Particularismo in unicum, quod supererat, latibulum, idemque remotissimum, non sine speciosa Philosophica forma, deducebatur. Ita denuo priores omnes responsiones & exceptiones suas Reformati inconcussas perstare existimarunt. Ita ingeniosus hic quoque error in longinquum mentiri didicit,

cit, ut ne cominus teneri queat, & veritati locum cedere cogatur.

§. 359. Numquid jam vergere id posset & in veritatis detrimentum, si quietus post hæc carecta latere Absolutismus posset, & in sanioris Philosophiæ ignominiam quoque, ob sublimiores rationes haud facile tolerandam? Habuerint enim imperiti vel quibus certe difficiliora hæc in connexionem dijudicare datum non est, Philosophiam pro naso cereo varie & ad veritatem & ad errorem æqualiter flexibili. Quis autem, quid inde secuturum esset, præfagire non facile queat? Numquid igitur utilitatem doctrina præstat, quæ utrumque incommodum cavet?

§. 360. Unde, his bene ponderatis non putem reformidandam esse nonnullorum objectionem, quibus fortean nimis philosophica & hæc tractatio esse videatur, qui tutum atque consultum fortassis non esse ducant, si graves religionis doctrinas easdemque tantopere controversas, ad tribunal rationis deducamus, & a philosophiæ sententia circa illas pendendum esse statuamus. Non enim *a*) nos istas doctrinas eo deducimus, sed ab aliis deductas vindicamus & in lucem reducimus. Et *b*) ut maxime id incommodet, quod tot ambagibus nobis tuenda sit veritas & profligandus error: commodum tamen accidit, quod, cum Adversarii varie, præconceptis opinionibus obliquati, Scripturæ Sacræ oracula detorqueant, inque sensum perversum rapiant, (Scripturæ Sacræ decisionem nusquam agnoscentes, & semper priora a nobis repeti querentes) *similibus* tamen armis & in lucem protrahi error & invitis extorqueri veritas possit. Etiam *c*) de gravissimis quibuscunque fidei Controversiis hodie constat, quod tamen in *generalioribus* ideis ac veritatibus desinant, *generatim* omnino considerandis & stabiliendis, & vindicandis, si aliter quidem adversariorum vitilitigationes eludi & præpediri non possunt. Et quum *d*) Revelatio quoque *generales*
sanæ

sanæ rationis veritates non abnuat, sed præsupponat, fortassis etiam satius est, utramque connectere & veritatis cum veritate consensum ostendere, ut eo distinctius & palpabilius, quam male cohæreat propudiosus error, dispalescat. Ita enim & brevius & facilius, putem, dissentientibus altercandi & vitiligandi gladius eripi potest, quam si insula inter utramque, Rationem puta & Revelationem, & utriusque veritates admittatur vel statuatur.

NOTA: Fortassis autem quis putet: „rationibus philosophicis semper opponi posse novas ratiocinationes, & nihil tam absonum esse, quin novi semper colores ex Philosophia eidem conciliari possint; Unde quidem futurum, ut facili via Dissidentibus novum secessum in placitis ejusdem Philosophiæ reperiant, quæ, ex his exemplis, ad fidem & Lutheranam & Reformatam est applicabilis, in quem semet recipere & ratiocinationes has omnes elidere possunt. Sed a) equidem nescio, an ejusmodi cogitata a Scepticismo Theologico, an a Fanaticismo propius absint? Si veritates generales, quibus speciales (Theologicæ) fundantur, sunt nasus cereus, in omnes formas, subinde alias, flexibilis, aut certi atque indubii nihil cognoscimus aut id omne a sensu & experientia interna sola repetendum foret. Ad idem quippe divinum Verbum utrique provocamus. Hoc igitur nondum sufficit. Post multas & explicationes & exceptiones & responsiones utriusque partis tamen res omnis vel tandem redit ad examen probationum, hoc est, generalium præsuppositorum. Aut hæc jam indubia reddi possunt, aut non possunt. Si non possunt: quid certo cognoscere possumus? & unde? Si vero possunt: tum ratiocinationes legitimæ aliis ratiocinationibus legi-

legitimis elidi non possunt. Idem quippe non potest esse simul verum & falsum. Sed illi oppositi novi colores facile disparebunt, ubi primum ad leges legitimæ ratiocinationis examinabuntur. Id sæpius absque Philosophiæ, præmissas curate determinantis & restringentis, auxilio fieri non posse cognoscitur. *b)* Tum vero novus Absolutismo secessus in Philosophia non amplius patere videtur, si Deus 1) nihil decernit sine ratione: si nihil 2) decernit ex ratione subjectiva: si 3) nihil decernit sine ratione objectiva antecedanea: si 4) nihil decernit ex rationibus objectivis *generalibus*, vagis, indeterminatis, a singulis non petitis: si 5) nihil decernit absque ratione objectiva determinata individuali ac specialissima, a singulis individuis repetita. Quid enim Absolutismo tunc remanet? Præsertim si determinatum, individuale ac specialissimum illud decreti motivum, non quidem ut tale, sed tamen *generatim* indicari ac declarari queat? Verius idcirco Magn. Canc. Pfaff. in Diss. de Form. Conf. Helv. pag. 41. Obs. IV. ait: „*ab ipsa quoque ratione tantopere commendatur, ut ad CLARISSIMAM rerum demonstrationem nihil superesse amplius possit.*

§. 361. „*Sed lingua radenda est, cui Scripturaria non sapit veritas?* Radi autem, si inveteratum est malum, nisi acuto Philosophiæ scalpello non potest. Ineamus igitur, si ita videatur, in Theologia *Polemica*, ubi circa adversarios eorumque exasciatos errores versamur, ineamus, inquam, Medicorum rationem, qui ægrotorum suorum morbis, caute ut plurimum tractandis, sese remediis maxime convenientibus accomodant, ut eos eo felicius, tutius atque citius pristinæ sanitati restituant. Ejusmodi enim est Cachexia Dissidentium, cui mederi hac medici-

na studuimus, ut scripturariæ rationes & responsiones Nostrorum ipsis imposterum sapiant omnes, quas usque adhuc vitio, in primis viis latente, neque satis remoto, nausearunt.

§. 362. Prorsus itaque hac parte sum in sententia B. D. Weismanni Nostri, qui alicubi docuerat: „Si querere velimus, quanam sit forte compendiosissima versandiratio in hac causa cum successu & facilitate in tanta exercitatione & peritia altercandi? R. nihil agi in tota hac controversia, quamdiu non remouetur & tollitur a Systemate Reformato seu Particularistico hypothesis de Deo in omnibus absolute & irresistibiliter agente, etiam in ipso ordine salutis. Hæc hypothesis in exhaustum fontem præstat vitilitigationum contra argumenta Sacræ Scripturæ alias classica. Haud supine fortassis ad hoc monitum Viri, etiam post fata Venerandi, in tota tractatione hac generali attendimus, ut istam hypothesin radicitus everteremus.

§. 363. Idem vener. mem. D. Weismannus in Corollario primo Disputationis de statu salutis Infantum Reprobatorum ex felicitate nascendi subjuncto dixerat: *Credibile est, Reformatos in unione Ecclesiastica magna sui parte dogma gratiæ particularis amissuros; quo tamen casu ingentem jacturam haud paterentur.* Id quidem verissime dictum putem, si vel in suo momento & pretio vel & extra nexum cum cæteris hoc dogma spectetur. Interim & illud a veritate non alienum putem, quod, cum id hodie sollicitius cum aliis multis connexum appareat, fieri non possit, quin horum ruinam id suo lapsu necessario & indubiè post se trahat. De eo quidem ex antecedentibus indicium difficile non putem esse. Certa satis indicia indicavimus, quod immedicabilis Absolutismus jam in agone sit constitutus.

§. 364. *Pelagianismi vel Semi-Pelagianismi prætextu Nostram de Conditionato Dei Decreto & Universali gratia doctrinam semper reddere suspectam conati sunt Reformati, perinde ac si positivi boni quidquam*

quam lapso homini tribueremus, aut relictum putare-
 mus, quo sese vel *ad gratiam* vel *ad gloriam* distin-
 gueret. Sed innocentem ex omni parte doctrinam
 nostram spero impostero a dissentientibus agniti-
 um iri, postquam supra plane satis declaratum est, quod
 nemo lapsorum hominum sese in integrum restituere
 possit, quod omne id beneficium gratiæ debeatur, &
 quod gratia tamen non *irresistibiliter* agat, ita ut ho-
 mo, etiam in integrum restitutus, tamen, si læva mens
 sit, sua libertate abuti, sed & bene ad finem uti
 possit: quod restituenti gratiæ debeatur, si bene &
 ad finem libertate utatur, *originarie*: quod homini
 soli, si libertate sua abutatur, tribuendum sit: quod
 adeoque nonnisi *destruere* & impedire salutis suæ ædi-
 ficium possit, sed illud *adstruere* nullo pacto valeat.

§. 365. Formula Concordiæ p. 671. satis distin-
 cte docet: „*Etsi utrumque tum Concionatoris plantare*
 „*& rigare, tum auditoris currere & velle, frustra omni-*
 „*no essent, neque Conversio sequeretur, nisi Spiritus S.*
 „*virtus & operatio accederet: qui per verbum prædica-*
 „*tum corda illuminat & convertit, ut homines verbo*
 „*credere & assentiri POSSINT: tamen neque Con-*
 „*cionator, neque auditor, de hac Spiritus Sancti gratia*
 „*dubitare debent. Quin potius uterque certo sciât, si*
 „*verbum Dei juxta mandatum & voluntatem Dei pure*
 „*ac sincere prædicatum fuerit, & homines (quod gratia*
 „*præveniente in integrum restituti possunt) diligenter*
 „*& serio auscultaverint, illudque meditati fuerint, cer-*
 „*tissime Dominum gratia sua (ulteriori) præsentem ad-*
 „*esse & largiri ea, ut paulo ante dictum, quæ homo alias*
 „*suis propriis viribus neque accipere neque dare potest.*
 „*De præsentia enim, operatione & donis Spiritus Sancti*
 „*non semper ex sensu (quomodo videlicet & quando in*
 „*corde sentiuntur) judicari debet aut potest.*

§. 366. Scilicet habenti, (hoc est, gratia data
bene utenti) dabitur. Luc. 19, 26. Sed nondum ha-
 bet, qui nondum accepit. Nondum bene uti potest
 gratia, qui gratiam accepit nondum. Nondum acci-

pere potest gratiam, qui ei resistit & quamdiu resistit. Resistencia igitur hæc ante omnia in homine corrupto est tollenda, ut gratiam ille accipere & habere, hoc est, bene uti queat. Tollitur illa (qua *naturalis* est & in omnibus lapsis *aqualis*, utut non *similis*) per restitutionem ipsorum in integrum, idoneo fundamento nixam, qua omnia fiunt, ut ante in statu explorationis fuerunt, ut sua uti libertate, sed &, minus attenti, abuti possint, ut mediis ad suam Conversionem transitive-intransitivam, (hoc est, post gratiæ initium hominis quoque assensum & consensum personalem & formatum postulantem) pædagogicis vel ita uti queant, ut divina gratiæ vis nova vita spiritali *formaliter* quoque ipsos animare possit, vel etiam ut supini ea media pædagogica negligere & libertate sua, qua uti deberent, abuti & sine ita salutaris excidere possint.

§. 367. Omnium igitur hominum, præveniente gratia, in integrum restitutorum nemo vel profanum Scriptorem ex *hac* sententia, legere potest & meditari sine gratia, *si salutarem ista lectio & meditatio ejus effectum vel consequi vel certe tamen non impedire debeat*, si libertate sua istius lectione ac meditatione uti potius ad finem salutarem, quam abuti, malit. Scilicet perinde non est, quomocunque quis etiam circa profanos Scriptores, aut circa cætera pædagogicæ media versetur? In integrum restitutus homo si eis quidem recto libertatis usu bene utatur, nemo non videt, possibilitatem recti & boni illius libertatis usus gratiæ, hominem in integrum restituenti, non autem homini, a natura ad omne bonum & salutare inepto, acceptam referri. Atque ita *velle bonum hominis, quo in media pædagogica justo & recto usu, fertur, prout (in integrum, præveniente gratia, restitutus) POTEST ac DEBET, non solis naturæ viribus patet. Ita in hominis potestate sibi relicti non est, velle Dei verbum in publico cætu (ad finem bonum, cum salutari effectum), audire: sed est in ejus potestate & arbitrio positum, velle*
id

id non audire. Ita in potestate hominis sibi relictæ non est, velle verbum Dei auditum meditari & fidem, eadem meditatione, præparare. Rom. 10, 17. Sed est in ejus potestate & arbitrio, velle id verbum vitæ non meditari. Ita non est in hominis sibi relictæ potestate, ut VELIT insistere a natura luminibus obtemperare, quod ex Rom. 1. cap. satis apparet: Sed est in ejus potestate, non velle obsecundare. Posterior quippe hominis agendi ratio in defectum definit, qui causa positiva opus non habet: sed de priori modo circa media pædagogica versandi, aliter statuendum. Ille enim & positivum bonum infert, & ad ejus augmentum disponit, præparat, juvat. Illud itaque homo non sibi, sed gratiæ divinæ, debet, a qua in integrum prius restitutus fuerit oportet. Conf. S. V. Canzii Usus Philos. in Th. tom. 2. P. 2. cap. 2. §. 61. & P. 1. c. 3. §. 51. & c. §. 137. seqq.

§. 368. Et gravia & perspicua satis in rem hanc sunt Formulæ Concordiæ verba: „Credimus, quod hominis non renati intellectus, cor, & voluntas, in rebus spiritualibus & divinis, ex propriis naturalibus viribus prorsus NIHIL INTELLIGERE, credere, amplecti, COGITARE, VELLE, INCHOARE, perficere, agere, operari, aut cooperari possint: sed homo ad bonum prorsus corruptus & mortuus sit, ita, ut in hominis natura, post lapsum, ante regenerationem, ne scintillula quidem spiritualium virium reliqua manserit aut restet, quibus ille ex se AD GRATIAM Dei PRÆPARARE SE, aut oblatam gratiam APPREHENDERE, aut ejus gratiæ (ex sese & per se) capax esse possit, aut se AD GRATIAM APPLICARE aut ACCOMMODARE, aut viribus suis propriis aliquid ad Conversionem suam vel ex toto, vel ex dimidia, vel MINIMA PARTE CONFERRERE, agere, operari aut cooperari, (ex seipso, tanquam ex semetipso,) possit &c. pag. 656. Et pag. 658. iterum: Sicut igitur homo, qui corporaliter mortuus est, seipsum propriis viribus præparare aut accommodare

„non potest, ut vitam externam recipiat: ita homo spiritaliter in peccatis mortuus, seipsum propriis viribus ad consequendam spiritualem, & cœlestem justitiam & vitam præparare, applicare aut vertere non potest: nisi per Filium Dei a morte peccati liberetur & vivificetur. Similiter ex dictis alia multa, quæ circa hoc argumentum mota fuere, dubia, facile viam invenient; quod quidem distincte ac sigillatim ostendere nihil attinet.

APPENDIX

ad

FIDEM INFANTUM.

§. 370.

Sub finem illud monere juvat, quod (maxime ex Cap. 5. Sect. 1.) quoad *potiora* lucem quoque accipiant, quæ nuper circa meam *Infantum Fidem* a Nonnullis, quos veneror, Viris desiderata fuere, ut nesciam fere, an opus sit, ut ulteriori Theoriæ facilis explicatione jam actum denuo heic agam applicatius? Fortassis breviter dicta a festinantibus aut continua demonstrationis serie defatigatis omnia non satis secum invicem comparata fuere. Ea autem injuria, vel si mavis, festinatio fecit, ut equidem, præter meritum ac Tentaminis modesti scopum, juvenili quodam pruritu, & injurius in Theologos & nescio cui Societati Novaturienti addictus aut conjunctus viderer. Verum istud jam transeat cum cæteris erroribus. Judicemus, QUID dictum fuerit potius, quam QUIS dixerit. Quæ ad ipsam rem & doctrinam hanc pertinent, ea quidem B. L. ex sequentibus paucis rectius atque amplius, si ita videtur, intelliget. Meminerit solum, fortassis omnia, quæ alii desiderarunt, me nondum hoc loco ac tempore rescivisse.

§. 371.

§. 371. Communiter Theologi, recentiores quoque potissimum *de salute* Infantum, extra Ecclesiam, vel ante Baptismum demortuorum, solliciti circa fidem vero ipsorum *incognita* quadam & *distincte inexplicabili extraordinaria* Spiritus Sancti operatione in ipsis contenti solent esse. Quum vero dissentientes & veritatis hostes eadem minus contentos esse & fidei impossibilitatem in infantibus per omnia semper oggannire - ac vere graviterque a Theologis dicta pro effugiis nihili declarare viderem, *ipsam hanc fidem in Generalibus* Tentamine isto sic explicare & ad reliquam Fidei Christianæ Analogiam reducere constitueram, ut a) *distincte* intelligeretur, quod *revera* infantes & *actu credere possint*: & *quo sensu graduque?* *cujusnam* fidei determinate sint capaces? *quanam opus habeant* ad salutem? cur necessarium non sit, eo sine vel *reflexam* fidem (*ordinarie* vel *extraordinarie* elicitam) in infantibus quærere, rationis usu suæ (ex Definitione) adhucdum destitutis? vel statim ad *distincte inexplicabilem*, prorsus *incognitam* eandemque *extraordinariam* Gratia Divinæ operationem confugere? cur ejusmodi Operatio Divinæ Gratia extraordinaria apud Infantes non modo ex Generalibus vagisque principiis duntaxat *presumatur*, sed ut *revera existens*, talia ac tanta, nec majora, nec minora, nec plura, nec pauciora in infantibus *omnibus* operans, declaretur? &c.

§. 372. Commodum quoque acciderat, ut b) difficultates, ab adversariis circa hanc Fidem parvulorum *hucusque inventas*, Deductio ista, ex generalibus ideis, facili via, feliciter præternavigaret. *Futura* autem & *nova dubia*, (utpote *non prævisa*) *fortassis nondum illa occupavit omnia?* Sed hoc sibi illa non sumserat. Dubia enim sunt Entia *relativa*, neque alios Eruditos *omnes*, neque *similiter*, vexantia. Et quum ista *confusioni distinctorum* originem debeant suam, apparet omnino quisnam potissimum aut majus dubitandi & dubia faciendi jus habeat? Fortaf-

sis dextra *generatim* & *breviter* dictorum applicatio etiam difficultates & dubia, quæ huic vel illi hanc circa causam supersunt, facillime tollet ac declarabit.

§. 373. Modo id caveatur, ut ne, quando Fides Infantum salvifica (ibid. §. 68.) *formaliter considerata*, in *Assensu presunto* in promissum omnibus lapsis ac datum Servatorem ponitur, *nudus* & *merus* assensus *theoreticus* duntaxat supponatur, cum *practicus quoque* assensus ad fidem salvificam *in genere* requiratur. (Fid. Inf. §. 24, 25, 45, 48.) Jam vero *practicus* ejusmodi *assensus* involvit a) *consensum* in imputationem meriti Christi & b) *in super assensum*, verbo Dei, hanc imputationem promittenti, datum, & *practice* quidem datum, ut & voluntas accipiat, quod promittitur ac datur, vel certe accipere nitatur, *absque utriusque confusione*. *Consentimus* in factum. *Assentimur* propositioni, quam pro vera habemus. *Practice* assentimur eidem, si & accipimus, quod illa promittit, & si agimus, quod illa fieri a nobis vult & jubet. (Fid. Inf. §. 4. & 10.) Numquid autem *discrimen hoc inter consensum & assensum* in Fide Infantum mea curate observatur? Evolvatur ibidem §. 55, & 60. ubi hæc leguntur: „Si quidem Infantes in imputationem meriti Christi *consentiant*, & divinæ, quæ illam promittit, *promissioni assentiantur*. (p. 39. lin. 6.) Atque iterum: Præsumi possunt (*infantes puta*) in eam *consentire*, ac divinæ, quæ illam spondet, *promissioni assensum præbere*. (p. 44. loc. cit.)

§. 374. Verum fortasse *presumptus ejusmodi assensus practicus* & *fides ejusmodi presuntiva* est *tantum fictitia*? Scilicet ratio agendi divina cum toto genere humano in Capite Ipsius Naturali ac fœderali, Adamo, non est similiter fictitia? Ergo minus vera? Absit, ut ita sentiamus! An & quo sensu autem Adamus potuit nostrum Caput *fœderale* esse sine nostro consensu morali? An nostra in Adamo *Inexistentia*, vel ab eodem generatio, nos obligare potest? Quo jure quidem? & qua ratione? Per illam fit *naturale*
quidem

quidem caput nostrum, non autem *fœderale*. Consensu fœdera nituntur. Civitatis Syndicus mittitur & agit totius nomine societatis, etiam posteritatis nondum existentis, sed ex ejusdem consensu morali & præsumto, quo alias arbores serimus, posteritati præfuturas. In moralibus pleraque omnia sunt fictitia, veris ideo non opponenda, præsertim si physica statim consequantur, aut connexa simul sint, quorum existentia illis negotiis & actionibus moralibus fundatur. Hac igitur parte plane sum in sententia S. V. Præceptoris mei, Canzii. (Conf. Ejus Regim. Civit. Div. §. 878 - 892.) Item Disciplin. Moral. §. 312. seqq. & Meditt. Reinbeck. in Aug. Conf. Contin. 45. §. 10. seqq.

§. 375. Sdd nimis *rationalis* est iste assensus & hinc ad fidem salvificam inidoneus? Ambiguitatem nemo non illico sentit, quæ vocabulo (*rationalis*) intruditur. Sine dubio tamen ad fidem nec *irrationalem* assensum requirimus! Ita est sane! Sed an *mere* & *nimis rationalem*? Scilicet *rationalis* dici assensus potest vel *a*) respectu *originis* & *principii*, quia ex *sola* ratione sibi relicta & *naturalibus viribus* oritur, qui profecto nihil valeret ad salvificam fidem, sed nec in hominem lapsum naturaliter, absque præveniente Spiritus Sancti gratia consideratum, cadere posset: (Fid. Inf. §. 35. & 39.) vel *b*) respectu *modi*, quo præbetur & *præberi posse* declaratur. *Posteriori* hoc sensu *rationalis* assensus & fundari potest præveniente Spiritus Sancti gratia & ab eadem incipere, sed tamen *rationali modo*, hoc est, modo, qui certis atque indubiis sanæ rationis veritatibus consentiat & legitime cohæreat, explicari ac declarari. Ita quidem *mere rationalis* aut *naturalis* dici assensus non mereretur. Spiritualis enim atque divinus, respectu *originis* ac *principii*, maneret, (§. 39. & 40. Fid. Inf.) quia Gratiam Spiritus Sancti prævenientem præsupponeret; (loc. cit.) sed *rationali* solum modo exponeretur; quod ex Cap. 5. Sect. 1. supra determinate

intelligitur. *Qualis igitur & quantus in hac herba anguis latet?* Nihil vocabula ambigua metuimus, ad rem ipsam attentiores. Sed ob id ipsum fidei naturalis ac divinæ discrimen (pag. 17. Fid. Inf.) non *tantum & unice*, sed *inter alia* quoque in *objecto* quaerimus: maxime vero etiam, in *principio atque origine*, in *viribus atque mediis*, ex quibus oritur. (Conf. Fid. Inf. pag. 17. sed & p. 18. §. 21. coll. §. 8.) Heic nihil incommodi quaesiverim!

§. 376. Si quis forte *assensum omnem* adeoque & hunc *Fidei practicum* (qui a fiducia, rite definita, nihil differt. Fid. Inf. §. 29. coll. §. 9.) necessario praerquirere *notitiam actualem* putet, meminerit, vere quidem in *physicis & naturalibus* id ita esse; in *moralibus* vero rem aliter sese habere. Saepe in *his* praesumitur haereditis vel nondum nati vel adhuc infantis assensus in futuram haereditatem, per Tutorem ipsi promissam ac designatam, licet ille nondum de ea quicquam revera aut definite cognoscat. In *favorabilibus* enim (*absolute*, vel *respective*, sed tamen) *vere talibus* praesumptio locum habet, utut vel plane nihil-dum vel nihil tamen definite de iis cognoscatur. Casus autem ipse hic est, quo infantes aeternam haereditatem in Christo adire cogitantur. Cujus autem consensus & (si Verbum promissionis accedat) assensus praesumi potest, salvis omnibus, ejus etiam *notitia* (*formata* scilicet ac *determinata*) tantisper praesumi *similiter* potest in *favorabilibus*, certo atque indubie *talibus*, qualia heic supponuntur.

§. 377. Sed forte *assensus hujusmodi ob universalem naturæ humanae corruptionem in infantibus temere quidem praesumitur? adeoque ad fidem salvificam nihil valet?* Verum enimvero, per *gratiam Spiritus Sancti praevenientem*, *repugnantia naturalis* in infantibus quoque tollitur: Malitiosa autem repugnantia in iis, deficiente adhuc rationis usu, vel abusu potius, deliberato, nondum habere locum potest. Quodsi autem tanta esset hæc hominum corruptio, ut etiam, posita
præve-

præveniente Spiritus Sancti Gratia, præsumi non possint in suam felicitatem veram atque perpetuam consentire, profecto spes omnis & via omnibus ad salutem esset præclusa. Quandoquidem ad repugnantiam *naturalem* in adultis *malitiosa* quoque accederet, damnabiliori multo effectu.

§. 378. Numquid autem *adulti plerumque dissensum testantur suum in aeternam hæreditatem, carnalia spiritualibus ac divinis præferentes?* Unde igitur consensus eorum in infantia præsumi poterat, qui potius ut dissentiant ac dissensuri potius præsumendi fuissent? Id irrationale quidem tunc & *secunda vice* damnabile est: Sed in dicta Dei cum hominibus atque infantibus agendi ratione homines supponuntur esse *rationales* ex Definitione, atque id respicitur in Præsumptione Divina, quod fieri ab ipsis & *posset & deberet de jure*, non autem ad id, quod postmodum fit *de facto & contra* sanam ipsorum rationem. *Antecedentem* Dei Voluntatem, benivolentiam Ejus universalem, non metimur ex eventu *consequenti*. Qui alioquin excusarem creationem hominum postea lapsorum? Sapiens in suo Decreto id respicit, quod majus bonum, vel saltem, in collisione, minus malum est. Numquid autem majus malum fuisset, si, propter dissensum multorum, etiam reliqui, qui consensissent in Servatorem, ipsis donandum, una cum cæteris, in sua miseria derelicti fuissent? Id satis quidem supra inculcavimus.

§. 379. Necesse est autem, ut eadem *presumpta fides* etiam EFFECTIVE consideretur. Ita enim SIMUL & EODEM TEMPORE fit in infantibus PHYSICE quoque ACTUALIS, QUOAD ACTUM PRIMUM. Quodsi autem respectus hic a priori ac *formali* respectu (§. 373.) non sejunctus est tempore, tum sane fides infantum non est *fides olim demum*, si bene ceciderit, *actuanda*. Non est futura tantum, aut *futuribilis, incerta aut dubia*. Non sane! Effectus enim hic, id est, actus fidei primus *physice simul*

simul adest cum assensu morali practico, quo Christum, ut suum Salvatorem, recipit, & qui, divino æstimo, multa cum ratione, ab infantis conditione petita, pro *vere actuali* potest haberi, sed & PROPTER HUNC ASSENSUM moralem. Aliter effectus in infante adesset sine ratione *objectiva determinate* sufficienti.

§. 380. In Infantibus vero etiam hic *Actus Fidei primus a)* sufficit ad ipsorum & Justificationem & sanctificationem. Ulterius enim corrupti sunt nondum *formaliter*. *Vere autem & b)* solus hic actus fidei primus, per Gratiam Prævenientem, in omni homine restituitur in integrum: (§. 244. seqq. maxime §. 246.) in Ecclesia sub certo ordine, sub certa conditione externa, pie observanda & implenda, extra Ecclesiam vero sine ordine isto, sine illa conditione. Fides igitur præsumta non est SOLA, nec SINE EFFECTU in corde Infantis, sed *obtinet restitutionem corrupti cordis in integrum*, quoad ACTUM PRIMUM, qui deinceps pro diversa relatione ad hominis vel Justificationem vel Sanctificationem diversum nomen accipit. Sic actum hunc fidei primum summe Vener. Canzius vocat *Semen Fidei*, vel *fidem in semine*. Meditt. in Aug. Conf. Contin. VI. Medit. 62. §. 14. Sed quis non videt, fidem ejusmodi (actu primo *non-præsumtam*, sed *actualem*) plane non esse *seminalem*, Reformatorum sensu? Neque enim *a fide* aut *conditione fœderali parentum* eam, sed a Gratia Spiritus Sancti præveniente *sola*, derivamus & cum semine frugum duntaxat comparamus in ordine ad sanctificationem. Diversa igitur utriusque Nomenclaturæ ratio est. (Conf. Fid. Infant. §. 72. ad 75.)

§. 381. Ut plene intelligar, tenendum est, quoque consulto me etiam actum hunc fidei *primum* NB. *in infantibus* considerare vel *materialiter* vel *formaliter*. (§. 74. Fid. Inf.) *Materialiter* hic actus primus *in infantibus* constare ex multis actibus, etiam *successivis*, potest: Sed manet tamen *primus formaliter*; quoad-

quoadusque illi *formale* deest, nempe *rationis* eorundem *usus*. In infantia autem defectum hunc supplet Spiritus Sanctus, Intercessor, per & propter fidem præsumtivam, ut nihil ipsis defectus ille nocere possit.

§. 382. Actus hic Fidei *primus* itaque fidem hanc Infantum *actualem* facit *communi* sensu, SED DISTINCTE SIC INTELLIGIBILI. Quamdiu autem non est *reflexus*, seu, uti itidem (§. 12. Fid. Infant.) rem enunciavi, quamdiu reflexione & conscientia sui & rationis usu destituitur, *formaliter* non potest pro actu *secundo* haberi, nisi *præsumtive*, ex mea quidem sentiendi ratione, eademque, ut putem, innocenti & plana. (§. 74. Fid. Infant.)

§. 383. Quæritur autem: an *recte ex Fide salvifica Infantum nihil faciam, nisi actum primum, & nisum recipiendi Christum, ut suum Salvatorem?* Ita prorsus equidem existimo, & rationem ita sentiendi plane ac distincte declaravi. Tum vero provocavi ad Tentatorum fidem. Quid est illa? & qualis est? Annon plerumque in Voto ac desiderio fidei anxio ac sæpe diuturno subsistit? An *hoc* plus dicit, quam *credendi nisum?* Defectum ejusmodi fidei Gratia Divina supplet propter conditionem subjecti, in aliis circumstantiis & extra statum tentationis, actu credentis & credituri. Hoc est, favor Divinus præsumit reliquos fidei actus, propter statum tentati non jam sese exferentes; prorsus uti apud Infantes, ob *similem* rationem, ab ætate tenella eorundem petitam.

§. 384. *Ex mente Theologorum fides Infantum est apprehensio Jesu Christi & meriti Ejus a Spiritu Sancto in infantibus effecta.* Sed aliter Definitionem hanc, quam ex mea Expositione, non intelligo. Aliter vereor, ne fides illa potius sit *Spiritus Sancti* fides, quam *infantum*. *Terminus Operationis* rem non conficit omnino. Actio alterius in me nondum est mea actio, cujus ego possem auctor haberi, quæ mihi *jure* & *cum ratione* posset imputari. Similiter enim in quovis impio Spiritus Sanctus fidem efficere posset

termi-

terminative. Quid enim Ejus virtute resistere posset?

§. 385. Ex principiis *generalibus*, sed *certis* atque *indubiis* concluderem ad *specialia*, ut putem, *legitime*. Si *nimum* ex *generalibus* concluderetur in *specie*, hoc est, si plus esset in *Conclusione*, quam in *præmissis*, profecto id *illegitime* fieret. Utrum vero mea *Infantum Fides* ex *Generalibus* de *Benevolentia Dei Universalis* &c. principiis ita *illegitime* concludat? aut *ubinam* plus *justo* inferat? id quidem indicatum non est. Tantisper igitur *exprobratio* ista habetur pro *nulla*, vel *huc* non *pertinente*. Similiter fortasse quis etiam ad *gentiles adultos*, ex *iisdem generalibus* principiis, concludi posse opinatur? Nemo autem non pervidet, quam *illegitima* foret ista *conclusio*? cum ab *adultis personalis* ac *physicus* idemque *expressus* consensus & assensus præberi debeat. (Fid. Inf. §. 48. fin. coll. §. 35.) Sed *conjecturis* immorari nolim.

§. 386. *Æqualitatem Imputationis Adamitici lapsus* & *Justitiæ Christi*, non urgeo *plenam*, secundum omnes *partes ac respectus*. Hac enim opus ad *finem* non fuisset. Sed illud cum *ratione* contendo, quod *fundamentum* utriusque *Imputationis* ex *parte Infantum* omnino sit *idem*. (Fid. Inf. §. 65.) Quid vero *nimum* est, quod exinde *conclusi*? Id quidem vel *indice digito* indicari *povelim*.

§. 387. Quodsi *fides Salvifica* ex *Philosophica* ejusmodi *Declaratione* *res plane naturalis* evaderet, profecto a *veritate* *Declaratio* ista multum, sed & a *mea sentiendi ratione* prorsus, *abluderet*. Qui *decem* vero *paragraphos* in *Fide Infantum* (§. 35 ad 45.) *perpendere* non *detrectaverit*, facile, credo, ab *omni suspicione Pelagianismi* vel *Semi-Pelagianismi* me *lubenter* *absolvat*. Ibi enim ex *rei natura* demonstratur, quod *sine Gratia Spiritus Sancti Præveniente* *lapsus* homo nec *Deum* sibi *propitium* reddere, nec *emendare* se possit *interne*, nec *aliud* ipsi *medium* ad *salutem*, præter *fidem* possibile, *superfuisse*. Et qui
supra

supra Cap. 5. Sect. 1. §. 243. cum sequentibus contulerit, planius adhuc & distinctius innocentem & coherentem doctrinam intelliget.

§. 388. Id quidem fieri facile potuisset, ut in ipsa Tractatione *heic* aut *ibi*, (pag. 45. e. gr. uti ferunt,) a scopo proposito aberrassem, & a salute Infantum, necessario quidem præsumenda, ad fidem ipsorum conclusissem, qui tamen A FIDE infantum ad ipsorum SALUTEM, inversa methodo, concludere instituissem in præfatione. Humani quid mihi eo casu accidisse haud invitus agnoscerem, quod nemo hominum a se alienum esse putet necesse est. Quorum interest tamen vere hac de re judicare, paginam 45. & paragraphos illius & sequentis pagine velim evolvant. Possibilitatem fidei Infantum contra Dissidentes ibidem determinate evinco, secundum omnes respectus, priusquam ejus *Existentiam* insequentibus *ibi* declarare instituo. *Illam* asserturo ostendendum erat, quod nulli antea cognitæ veritati hæc fides ullo respectu, neque respectu Dei, neque respectu infantum, contradicat, si in præsumto quidem assensu pratico *formaliter* ponatur, utpote qui ex natura recuperandæ salutis prærequiratur ac præsupponatur. (loc. cit. §. 62.) Sed hoc non est omnino, me iudice, a salute infantum ad *actualement* ipsorum fidem concludere, sed ad ejus *necessitatem* aut *indispensabilitatem* si loqui sic liceret. Nimirum Theologi, qui melius de *abarris* & extra Ecclesiam veram natis infantibus sperare solent, ita quidem, ni fallor, concludere solent: Gratia Dei & meritum Christi sunt universalia. Non igitur rationem pervidemus ullam, ob quam infantes Gentilium & ante baptismum demortuos Christianorum a salute, omnibus parata, Deus excluderet. Sed cum Sacra Scriptura id impossibile esse pronuntiet, ut quis hominum lapsorum sine fide Deo placere possit: credimus sane, etiam a Deo, Ejusque Spiritu, (quod extraordinario modo facile fieri potest) *fidem sine reflexione* in corde Infantis effici, quam declarare nec volumus,
nec

nec possumus. Et hoc est omnino ab indubia Infantum salute ad nescio quam inexplicabilem, in corde ipsorum productam, fidem concludere. Salvantur infantes. Ergo credunt. Ita vero mea Infantum Fides nullibi concludit: sed postquam ostenderit, QUARE & QUAM necessaria sit fides salvifica, omnibus lapsis hominibus in genere, sub ea scilicet conditione, si velint salvari, distincte ac determinate etiam inquirat ac declarat, quænam fides & quo modo in infantibus sit possibilis? quæ non possibilis? quænam fides ex parte infantum valeat apud Deum? quæ minus? Atque ita deinceps evincit, quænam vel quonam modo eadem fides infantibus aptum conveniensque medium ad æternam salutem esse possit, & actu sit? Hæc vero magnopere differunt. Theologi communiter concludunt affirmative: Habemus hanc illamve rationem credendi & sperandi, fore, ut Deus infantes etiam Gentilium & Christianorum, absque Baptismo demortuos, potius salvet, quam damnet. Igitur & fidem in ipsis aliquam operabitur. Qualem vero & quantam? Directam scilicet, quam explicare ulterius nihil attinet, quæ absque rationis usu, in suum tamen objectum, nempe Christum Redemptorem, directa est. Mea vera Infantum Fides negative ibidem primo concludit ex natura æternæ beatitudinis, quod nemo lapsorum hominum, adeoque & nemo infantum, sine fide salvari possit omnino. (loc. cit. §. 54-56.) Sed postmodum determinate etiam ostendit, quamnam habere fidem, aut quonam modo, infantes possint? quamnam aut quonam modo unam eandemque salvificam fidem actu habeant? quænam & quo sensu ea fides sufficiat ad eum eventum & effectum, ut scilicet salutem ipsorum, tanquam inseparabilem effectum post se trahat? Temere quidem hæc confunderentur, si pro iisdem haberentur. Breviter dicam. Necessitatem fidei salvificæ in ordine ad omnes salvandos prærequirere, non est existentiam fidei ex salute ostendere. Conditio enim ibi supposita nihil ponit in Esse.

§. 389. Sed tota hujus argumenti Tractatio & nimis Philosophica, & minus Scripturaria est. Exprobratio duplex est. Illa quidem limites veritatum Theologicarum, ab hoc vel illo arbitrarie positos, migrari non vult. Hæc satius ducit, priora semper repetere & Empæctarum strophas contemnere & suis Autoribus, cum detrimento Veritatis, indulgere. Sed equidem illud crimen læsæ Majestatis Scholasticæ imaginarium esse putem, quo veritates hujus scientiæ declarationi alterius dogmatis adhiberi prohibentur. Veritates veritatibus cohærent omnes. Neque piaculum est, in earundem connexionem migrare confinia ceterarum disciplinarum. Quod alterum attinet exprobrationis momentum, id equidem non abnuumquam, quod hæc mea Deductio a Scripturæ Oraculis, tantopere controversis, tantisper abstrahat. Prælagii animo hanc Exprobrationem & excusavi factum. (§. 98. Fid. Inf.) Ita vero ad *ῥεῖθρον πατρίδας* lis devolveretur & quæreretur: quid faciendum & consultius sit in materia speciali, de qua copiosa & plana Scripturæ sacre oracula non habentur? an a dictis Scripturæ Sacre nihilominus sit incipiendum, & cum adversariis de vero eorum sensu litigandum, qui multam semper excipiunt & nostras exegeles negant & respunt? vel annon liceat & satius sit, ejusmodi materiam prius in generalibus principiis, ab adversariis quoque admissis, & a Sacra Scriptura itidem præsuppositis, & in specie confirmatis, exponere ac deinceps argumento specialem doctrinam connectere cum generali? Et utrum alteri debeat pro faciliore explicatione præmitti? Generale speciali? an speciale generali? In Synthetica methodo prius obtinet: in Analytica posterius. Hæc tuto eligi posset, si plana & extra dubium posita Scripturæ dicta hoc de argumento haberemus. Quis vero audeat, hoc argumentum solis Scripturæ dictis iisdemque tantopere controversis, unice superstruere & ex iisdem contra Adversarios plane declarare? Aut quo successu id ab aliis factum esse


cognoscimus? Philosophandum igitur erat de dictis Sacrae Scripturae. *Generatim* enuncianda & connectenda, quae Verbum Dei dicebat *in specie*. *In omni specie continetur genus*. Id abstrahi potest a specie & *generatim* considerari, connecti atque ita enuntiari, salva veritate. Abstrahentium enim non est mendacium. Quæri tunc posset, annon itidem Scripturaria sint, quæ Scriptura sanctior præsupponit, *generalia*, tanquam vera & indubia & quæ deinceps confirmat *in speciali*? Si *species* expresse Scripturaria est, quidni & *genus*? quocumque hoc nomine veniat. Aliter adum de conclusionibus theologis esset. Eadem ab aliis aliter nominata ideo non discrepant sæpe quoad rem ipsam, ad quam attendere juvat.


§. 390. Atque ista ex veritatis amore & pro Veritate scripta, veritatem amantibus & intelligentibus sufficere possunt. Cæteris, qui tricas amant, & vitilitigationes, ut dissensus perstet, neque *plura* his, neque *faciliora*, neque *distinctiora* quoque unquam sufficient. Verum turbare limpida artis non est. Quin potius in eo collocabimus operam conjunctis viribus, ut obscura & confusa dilucidemus. Major hinc in Ecclesiam Christi lux refulgebit ampliorque fructus redundabit. Mentitur hoc seculum speciem *Demonstrativi* in pluribus: sed vere & plene *Demonstrativum* est nondum. Voto adhuc superest locus: *Ultinam omnes sua dogmata demonstrarent!* Tunc enim solius ope Logices multa & falsa & inania & superflua facile diffarentur. Interea nos quidem, quæ nostra sunt, Deo in auxilium vocato, conari & agere fideliter non desistamus. Cætera Deus curabit.

Domino sit Laus & Gloria in perpetuum.

Corrigenda.

pag. 2.	§. 2.	lin. 6.	lege	videris
ead.	- 3.	- 9.	-	hoc,
	8.	- 18.	- ult.	- propositis
	16.	- 47.	- 8.	- hoc
	23.	- 67.	- 4.	- adjudicata.
	29.	- 87.	- 5.	- liberam
	31.	- 91.	- 7.	- posuimus
	32.	- 95.	- 10.	- fine omnium
	45.	- 121.	- 2.	- dicta,
	69.	- 168.	- 1.	- obversari
	72.	- 172.	- 17.	- ob id ipsum
	86.	- 198.	- 2.	- dissentientibus
	90.	- nota.	- 7.	- vero
	94.	- 210.	- 5.	- imperscrutabilia
	112.	- -	- 1.	dele hominis
	114.	- 248.	- 2.a fin.	lege etiam
	116.	- 253.	- 5.	lege libertatis abusu,
	120.	- -	- 2.	- eventura
	127.	- 275.	- 7.	- vero
	ead.	- -	- -	- ad finem
	ead.	- -	- 8.	- fidem
	136.	- 290.	- 1.	- concidit
	144.	- 301.	- 6.a fin.	- constituent.
	146.	- -	- 5.	- manifesta
	151.	- 312.	- 3.a fin.	- in fine,
	154.	- 319.	- ult.	- petitam,
	159.	- 328.	- 4.a fin.	- incerti
	169.	- 349.	- 11.	- videantur.
	172.	- 354.	- 9.	- decrevit unum sine
	173.	- 355.	- 6.	- indicari
	ead.	- -	- 8.	- decreverit.







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Grey	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Grey	Black

